





LA

MAT

Et nu

Academ

strem

M. JO

Acc

Cum P

Sumptib

Exc


COMPENDIUM LATINÆ GRAMMATICÆ PRO DISCENTIBUS SCRIPTUM,

Et nunc post accuratas Censuras Academiarum & Scholarum illustrium postremò recognitum atq; sublatis omnibus mendis Typographicis editum


à

M. JOHANNE RHENIO.

Accessit Nomenclator G[illegible] [illegible]icus per omnes partes compl[illegible]



Cum PRIVILEGIO Sacr. Cæsar. Majest. & Electoris Saxoniæ.



LIPSIÆ,


Sumptibus hæred. Zachariæ Schüreri, Matthiæ Götzij & Friderici Lanckisch.

Excudebat FRIDERICUS LANCKISCH.

ANNO M. DC. XXIX.

C. C. R.

PP. Erhard Camald. in Insula Vyrens.



VIRIS

Nobilißimis Magnificis, Reverendis Amplißimis, Clarißimis Consultißimis &c.

SERENISS. SAXONIÆ ELECTORI, &c.

à Consiliis


INTIMIS

&

ECCLESIASTICIS

Fidelißimis, dignißimis, meritißimis; Dominis, Patronis & Promotoribus meis summa animi observantiâ perpetuò colendis.

S. P. D.



Ræclarum & fructuosam Reipub. Christianæ operam navare omnes eos, qui studijs pueritiæ quocunq; modo consulere & prodesse laborãt, nemo est ex verè sapientibus, qui in dubiũ vocet. Videmus enim quòd à prima cujusq; hominis educatione atque informatione totius reliquæ vitæ expectatio dependeat. Eq; verißimè dictum est ab Aristotele: οὐ μικρὸν διαφέρει τὸ οὕτως ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν, *id est, Non parvi; Sed permagni, adeoq; in universum refert, statim à*

pueris hoc vel illo modo consuefieri. Quanta enim vis sit consuetudinis in utramq; partem, ipsa experientia rerum Magistra satis superq; testatur. Neq; verò de Moribus hoc tantùm intelligendum est, sed & de ipsa Doctrinâ. Nam de hac quoq; nimis verum reperitur Græcorum illud: πᾶν σύντροφον γλυκύ. Adeò nimirum adhærent & dulcescunt nobis, quæcunq; primis pueritiæ annis imbibimus, ut quasi nobiscum nata esse videantur, & vix ab ipsa Veritate nobis extorqueri illa patiamur. Videamus, quàm ægrè errores deponant, qui in religionis negotio non rectè ab ineunte ætate instituti fuerunt, etiamsi luce meridianâ clariùs appareant. Non minùs in cæteris disciplinis tenaciter retinemus, & mordicùs defendimus, quæ pueri olim vel ex libellis methodicis, vel ipsis Præceptoribus nostris accepimus, audivimus, didicimus. Nec quicquam gravius & molestius nobis accidere videtur, quàm aliquid vel dedocere vel dediscere. Quapropter piâ omninò solicitudine opera danda est φιλοστόργοις parentibus, & Præceptoribus fidelibus, ut vera, recta & salutaria pueritiæ à primis statim annis instillentur, in quibus deinde cum fructu exerceri & confirmari queant. Atq; hoc si uspiam, certè in Grammaticis præceptis maximè omnium est necessarium, in quibus multos pleriq; annos, si non omnem pueritiam & adolescentiam, magno cum labore & tædio consumunt. Hîc verò

quo

quoties optatum & desideratum fuit, ut tandem aliquando vel divinitùs aliquis existeret, qui tantas in Grammaticæ præceptis remoras amoveret, pro falsis vera reponeret, obscura illustraret, superflua præcideret, deficientia suppleret, & modis omnibus commodos juventuti libros efficeret? Ingens sanè visum fuit hoc postulatum, quod non unius hominis, aut duorum aut trium, sed longè plurimorum cùm ingenio, tùm doctrinâ rerúmq; usu præstantium operam & laborē diuturnum requireret. Quid enim? Omnes in universum Autores tantâ curâ diligentiáq; perlegere, omnia maxima & minima quàm accuratissimè observare, diversas editiones & manuscripta conferre, Criticorum omnium sententias expendere & memoriâ tenere, tot & tanta Lexicorum volumina perlustrare Grammaticorum veterum & recentium, controversias examinare & dijudicare; regulas ubiq; veras, breves, sufficientes, perspicuas tradere; & hac in re omnium hominum judiciis & voluntatibus satisfacere, an non infiniti laboris, singularis ingenij & acuminis, miræ dexteritatis, raræq; felicitatis jure meritoq; censeri debeat? Et quomodo ad hæc omnia rectè perficienda unius aut paucorum hominum opera sufficiat? At verò pro his tantis etiam laboribus, sudoribꝰ, vigilijs, & tædiis vix quicquam aliud quàm invidiam, odium, insectationem & contemtum expectare & tolerare,

quidni magni & patientißimi animi esse statuatur? Quotusquisq; autem reperietur, qui hac ratione cum suo incommodo aliorum commoda procurare velit? Non sine causâ igitur admodum rari apparuerunt, qui pro bona pace & quiete tot contentiones subire, tantisq; se periculis & malis exponere animum inducerent. Sed nihilominus manifestum & non exiguum erat damnum, quod ex hoc neglectu in studia pueritiæ redundabat; nimis quàm molestæ erant remoræ, quæ tam docentes quàm discentes in officio & spe sua retardabant: & quo plures myriades sunt ejusmodi tirunculorum, quibus tanto cum labore ac tædio præcepta Grammaticæ inculcari solent, quo deniq; imbecillior, omniumq; favore & ope dignior est tenella hæc ætatula: eò magis dolendum videbatur, tot ac tantis eam non necessariis molestiis & laboribus per tot annos frustrà onerari & defatigari. Quò enim fidelior est unusquisq; Præceptor; eò faciliorem, breviorem & planiorem in viam ducere studet discipulos suæ fidei atq; institutioni commissos. Quid multa? Hoc ipsum fuit, quod me tandem permovit, ut, relictis ad bene longum tempus jucundioribus studiis, in tam contemptâ vulgò disciplinâ industriam meam exercere, & quantum possem opis juventuti scholasticæ afferre tentarem. Conquisivi itaq;, quicquid undecunq; subsidij ad eam rem eruere potui. Nullis peperci sum-

ptibus

ptibus, nullis laboribus, nullis vigiliis. Deprehendi autem à pluribus cùm nostratibus, tùm exterarum nationum hominibus præclaram operam in excolendo Grammaticæ studio positam esse, quorum doctissimorum virorum ope suffultus, & quasi secundis ventis subvectus, longè faciliùs & feliciùs, quàm sperassem in incepto atq; instituto meo progredi potui.

Sed quis te potissimùm vocavit, *inquiat aliquis*, ad repurgandum hoc Augiæ stabulum? Num tu itaque tantò vel doctior vel audacior cæteris? *De speciali equidem Vocatione ad Grammaticam publicè corrigendam gloriari non possum. Existimo tamen omnes eos, qui juventutem in Scholis Grammaticam docere jussi sunt, simul etiam mandatum à DEO & pio Magistratu accepisse, ut non nisi vera doceant, falsaq; omnia sedulò vitent, & vitare suos discipulos jubeant. Quis enim alius est finis totius Institutionis, omniumq; studiorum nostrorum, nisi Veritatis cognitio? Ideò nimirum apertæ & constitutæ sunt Academiæ & Scholæ, idq; unicè agunt & meditantur omnes Professores & Præceptores, ut animum hominis ab omni inscitiá, falsitate & vitio liberent, & contrà veris sententiis omniq; honestate imbuant. Ad hunc ceu scopum quendam omnes liberales Artes & disciplinæ diversis quasi viis tendunt: in hoc omnes amicè conspi-*

rant & conſentiunt. Quæ cum ita ſint, dubitari profectò non poteſt, me in Schola vel officij ratione Vocationem habuiſſe, non falsò, ſed rectè docendi Grammaticam. Quemadmodum autem in cæteris artibus, & Superioribus Facultatibus, qui publicè privatimvé docent, non ſpecialem aliquã Vocationem expectant, quando ſuarum lucubrationum aliquid, ad aliorum informationem, publici juris facere volunt: ita nec mihi in mea profeſſione aliquod peculiare mandatum expectandum fuit, quo impulſus demùm ea divulgarem, quæ magno ac diuturno labore, perpetuoq; docendi uſu obſervata, ad diſcentium utilitatem congeſſeram, & qua potui ratione concinnaveram. Ultrò enim, etiamſi nemo roget aut mandet, in commune afferre debemus, quocunq; humanam ſocietatem juvare poſſumus. Hoc enim expreſſe Spiritus Sanctus ab unoquoq; Christiano homine requirit, quando Jacobi 4. cap. ait: Εἰδότι καλὸν ποιεῖν, καὶ μὴ ποιοῦντι, ἁμαρτία αὐτῷ, *id eſt, Qui ſcit bonum facere, & non facit, ei peccatum eſt. Et ſanè, ſi nemo aliquid elaborare, aut in publicum emittere deberet, niſi ſpeciali mandato ad id faciendum impelleretur, vix quicquam in lucem proditurum eſſet. Quis enim novit, quid alius præſtare poſſit aut velit? Quin potiùs ego cenſeo, unumquemq; hominem, qui neceſſariis donis ad quamcunq; operam utilem Reip. navandam à DEO inſtructus eſt, illa ne-*

qua-

quaquam defodere; sed ultrò ad amplificandam DEI gloriam, & promovendam Ecclesiæ salutem quàm rectißimè collocare debere. Omnis enim liberalis doctrina cuivis homini convenit, etiamsi ad eam tradendam à nemine vocatus sit. Et sicut in pluribus rebus excellere præclarum & honestum putatur: sic in multis etiam Reip. prodesse, cumprimis honorificum & laudabile ducendum est. Musico igitur nemo vitio vertat, si idem in Mathematicis, in Historicis, in Chronologicis aut aliis disciplinis quoq; elaboret, & ad usum communem aliquid afferat. Nec à Theologo, Jurisconsulto aut Medico Musicæ scientia & exercitatio aliena videri debet. Atq; utinam omnes omnia calleremus, neque ulla liberali cognitione destitueremur. Ita n. demùm perfecti & beati futuri essemus! Quòd si verò Autor aliquis sua scripta Censura Academicorum Profeßorum submittit, eáque non nisi ab illis approbata in publicum edit; quomodo is justã ullius boni viri reprehensionẽ incurrere, aut temerario ausu aliquid in eo genere fecisse dici potest.

Atq; ut de me rebusq; meis Grammaticis hîc aliquid inseram; sæpissimè ego cum multis aliis optavi, ut doctus aliquis & commodus vir, qui in scholis & institutione puerorum probè versatus esset, tandem aliquando Grammaticæ illas remoras tolleret, & tàm Præceptoribus quàm discipulis viam planam & compendiariam docendi ac discendi commonstraret. Verùm frustrà aliquam in his

nostris regionibus expectavimus. Nemo apparuit, qui difficillimum ac tædiosißimum hunc laborem suscipere, sese tot judicijs ac periculis exponere voluerit. Ego igitur, non quod cæteris vel doctior vel audacior essem; sed quia impatientiùs id damnum perferre poteram, invocato divino auxilio, tandem bono animo ac simplici studio rem aggressus sum, & vires meas hac in re periclitari volui, si quo modo remedium aliquod huic malo afferre, vel alios doctiores & ad eam rem aptiores excitare possem. Fiduciam istius rei in me posui minimam, in alijs viris eruditis, quos mihi adjutores fore sperabam, maximam. Omnia igitur mea statim à principio censenda dedi Facultatis Philosophicæ in hac Academiâ Professoribus, Collegis meis honoratißimis. Qui propterea, quòd à me bonum initium futuri ædificij factum esse, aliorumq; eruditorum quorumlibet consilia & auxilia implorari viderent, nec cuiquam quicquam præscribi vel obtrudi; haud gravatim permiserunt, ut etiam typis describerentur. Idq; eò libentiùs & promptiùs faciebant, cum Serenissimus quoq; Elector noster hoc ipsum peculiari mandato eis præcepisset. Prodibant itaq; eo tempore mei libelli permittente & volente ipso Sereniß. Electore nostro cum censura nostrorum Professorum, absq; ulla temeritate & audacia: non eo consilio & fine, ut Philippi nomen & autoritas hinc imminueretur; (Nam nec autor quidem est Philippus magni illius voluminis, quo Scholæ hactenus oneratæ fuerunt) sed ut pueritiæ studiis rectiùs consuleretur, & crassa illa vitia, quæ in Grammaticos libros pueris discendos irrepserant, multisq; annis sic tolerata & propagata fuerant, tandem eximerentur, multisq; bonis viris ad id operam suam conferendi occasio præberetur. Prodibant etiam necessariò meis sumptibus, quia nullus Bibliopola eo tempore pecuniæ aliquid in meos libros impendisset, cum jam antè certi libri Grammatici hìc & a-

libi

libri in Scholas introducti essent, neq; etiam à me illorum autoritas vel tantillum moveri ac labefactari posse videretur. Magnam eorum partem, ut tantummodo meum institutum innotesceret, Professoribus Academiarum & Praeceptoribus Scholarum, multisq; aliis doctis Viris elargitus sum, quos simul oravi, ut suis me consiliis ac monitis, ubi necesse putarent, rectius instruerent, & sic ad discentium utilitatem facilius procurandam aliquid adjumenti afferrent. Bonam magnámq; partem in longinquas oras misi, quorum pretium multis in locis mihi nondum persolutum est. Unde satis patet, me nec sine periculo sumptus impressionis fecisse, nec sine meo damno huc usq; pertulisse, ut nemo mihi alio nomine hinc obtrectandi ansam arripere jure possit aut debeat. Quamprimùm autem mei libelli in lucem & conspectum hominum venerunt, diversa diversorum de illis fuerunt judicia, quemadmodum etiam ex quibusdam contra me editis scriptis satis liquet. Etsi quidem plures me favore & amore, quàm odio dignum putârint. Serenissimus etiam Elector Saxoniæ, Dominus meus clementissimus ad meas humillimas supplicationes, tribus suis Provincialibus Scholis, Portensi, Misnensi, Grimensi, nec non VVittenbergensis Academiæ Philosophicis Professoribus mandavit, ut libros meos quàm accuratissimè ad veritatis trutinam examinarent, suumq; de illis judicium bonâ fide in Illustrissimam aulam referrent. Id quod ab illustribus quidem Scholis factum est satis fideliter & diligenter. Sed aliunde hac occasione Scriptum quoddam Centuriarum in lucem prorupit, non sine gravi Pietatis, Veritatis & humanitatis indignatione. Atq; utinam nec mea patientia quantumvis sæpiùs & gravissimè læsa in nimiam iracundiam conversa fuisset. Nam etiam humanissimis & placidissimis modis Veritatis atq; Innocentiæ patrocinium suscipi potuisset. Verùm

ita sumus homines, ut interdum indignitate rei commoti longiùs quàm par est affectibus abripiamur. Nollem factum. Interim à me & illustribus scholis ad clementissimum mandatum Serenissimi nostri perspicuè demonstratum est, inanes & vanas esse plerasq; illas Centurias. Nam, quæso te, cui unquam bono vel usui esse possunt omnes illæ Centuriæ, quæ integris duodecim octernionibus de prima mea editione, quàm odiosissimè enumerantur? Jamdudum enim, ea qua primùm ex usitata Philippi vel Micylli Grammatica sic retenta fuerant, & à mè ipso postea erronea cognita, statim in altera mea editione sunt correcta. Et quæ nondum emendata videbantur peculiariter ab autore in altera Classe de secunda mea editione omnia mihi rursus exprobrantur. Ergò priore illâ enumeratione supersedere potuisset ac debuisset, cum nullam planè in se nec necessitatis nec utilitatis rationem habeat. Sed quot nam illa sunt numero, quæ proba & recta esse evicimus, & idcircò malè ab autore Centuriarum tàm in prima quàm secunda Classe reprehensa? Philippica verò vel Micyllea quæ sunt, (ostendi autem esse numero centum & sexaginta septem) quo jure mihi ut primo autori attribuuntur? Quid de illis dicam, de quibus nondum inter eruditos convenit, & adhuc sub judice lis est? Fuerunt tamen Smetiana quædam Orthographica in Nominibus propriis, cum paucissimis aliis, correctionis adhuc indiga, quæ nunc in postrema mea Grammaticæ recognitione, ut spero, sublata sunt. Variationes mearum editionum, quæ mihi ipsi molestissimæ sunt, nescio quomodo sufficienter excusare possim. Sciunt omnes boni viri quod in rebus controversis ac dubiis, non omnibus idem ubiq; videri soleat; sed interdum quot Capita, tot sententiæ sint. Quod inprimis de Grammaticis ego verum esse expertus sum. Nemini facilè refragari, sed omnibus potiùs benè & fideliter suadentibus, si fieri posset, obtempe-

rare

rare volui. Hac de causa factum est, absq; ulla mea levitate aut inconstantia, ut in Syntaxi præcipuè dispositionem regularum non semper eandem servaverim. Faciliùs autem sic alij aliorum consilia cognoscere, interq; se conferre & dijudicare potuerint. Non certè ejusmodi res est Grammatica, quæ ab uno aliquo aut paucis, quantumvis nihil in se studij ac diligentiæ desiderari patientibus, statim uno tempore perfici queat; sed quæ moram & tempus requirat, multorumq; indigeat maturis deliberationibus, consiliis & auxiliis, donec tandem ex plurium inter se collatione veriora & commodiora eligi & retineri possint. Nemo igitur tàm iniquus rerum æstimator & judex fuerit, qui probri loco mihi objiciat priores illas editiones, & à me requirat, quòd in tanta rerum multitudine, & varietate, opinionumq; discrepantiâ nec ipse, nec facilè quivis alius præstare potuisset. Nunc verò demùm diligentiùs & accuratiùs omnibus excussis ponderatisq;, in eo deniq; consentiunt boni & docti illi Viri, quorum consilio atq; opera potissimùm usus sum, pleriq; omnes, ut hoc modo & formâ Compendium meum pro discentibus, & latina grammatica pro docentibus & adultis *divina prosperante gratiâ jam nunc edatur, nec deinceps quicquam amplius immutetur. Quâ in re libenter morem gessi eorum voluntati, omnemq; diligentiam adhibui, ut nullius salutaria monita, quæ mihi subjecta fuerunt, negligerentur, sed omnium & singulorum, quantum ipsa veritas & discentium utilitas permittere visa est, accurata ratio haberetur. Neq; tamen adeò multa sunt, quæ hîc jam mutata variataq; invenies: Pleraq; ea habentur etiam in prioribus editionibus, licèt alio forsan ordine & dispositione, ut nulla magna turbatio puerorum, qui meis antea usi sunt metuenda esse videatur. Quæ dubia fortè alicui occurrunt, eorum rationem Deo volente reddet mea dissertatio, cujus editionem etiã primo*

quoq;

quoq; tempore maturabo. Quin & Tirocinium meum ad hanc Syntaxeos dispositionem suo tempore accommodabo, ut nihil in meis libellis inconveniens & dissonum reperiatur.

Illud deniq; rogo fideles Præceptores, ne alibi quàm Lipsiæ impressa pro meis habeant. Nam apud alios etiã, quod multi graviter conquesti, & cum suo damno pueri experti sunt, quàm negligentissimè & vitiosissimè libri mei aliquoties recusi sunt. Quo ipso priores meæ editiones intempestivè & contra meam voluntatem ita multiplicatæ fuerunt, & geminis sumptibus gravati tenuiores. Sed longiùs, quàm statueram progredior.

AD VOS me potiùs jam converto; *Reverendi, Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimiq; Viri, Serenissimi Electoris Saxoniæ Consiliarij fidelissimi, dignissimi, meritissimi*, quos debitâ cum reverentiâ & submissione animi nunc deinceps paulisper compellabo. *Vos, enim, Vos*, inquam, estis, quos DEUS ipse in tàm illustrem locum evehere dignatus est, unde velut ex alta quadam specula rebus communibus patriæ nostræ benè & salutariter prospicere & consulere, imprimisq; Ecclesiis, Scholis & Rebuspub. harũ ditionum cum laude præesse & prodesse possitis. *Ad Vos* itaque cura Scholarum & Ecclesiarum hujus Electoratus præcipuè pertinet, quam ipse Deus, & qui DEI loco in his terris est, supremus ac pientissimus Magistratus noster vestræ fidei tutò & rectè commisit. *Ad Vos* igitur, quibus salute Ecclesiarum & Scholarum nihil prius & antiquius est, supplex ego jam in bona causa confugio. Vidistis hactenus & satis cognovistis, quàm serio & sincero veritatis amore, beneque merendi de Scholastica juventute studio, quantos labores, quamq; multiplices molestias & acerbitates, non sine jacturâ meæ valetudinis & profusione

sum

ſumptuum neceſſariorum, bono & ſimplici animo, ſine ullis inſidiis & malis artibus in me ſuſceperim, & divina ſuffultus gratiâ atque auxilio tot annis fortiter conſtanterque ſuſtinuerim ac pertulerim. Scitis, & probe intelligitis, me nihil hac in re contra meum officium, nihil ſine vocatione, nihil ſine Sereniſſimi noſtri conſenſione & approbatione, nihil audacter & temere aggreſſum eſſe. Non ego palmam aliis, quibus magis ea res conveniſſet, præripere volui; Sed in defectu aliorum, juventuti prodeſſe, nemini obeſſe ſtudui. Concertationes mihi à quibuſdam motas non niſi veritatis tuendę ac defendendæ causâ ſuſtinui. Confectum nunc divinâ favente gratiâ videtur eſſe omne bellum Grammaticum. Victoria, quod omnes boni optaverunt, fugatâ Sophiſticâ, *Veritati* ceſſit. Pax inter omnes Grammaticos & Grãmaticæ cultores deinceps certa ſtabiliſq; ſperanda fuerit. Conſentiunt tandem eruditi & boni plerique in hanc, quam vobis humiliter jam offero, docendi diſcendiq; formam; quod ex illorum *Cenſuris*, *tranſmiſſis libris*, & *literis* ſine ullo dubio certò affirmare & confirmare poſſum. Receptui itaq; jam cano, & in optata quiete & pace DEO meo gratias ago, quas mente atque animo concipere poſſim maximas atq; immortales, quòd non modò vires & conſtantiam mihi largitus eſt ad tot laborum & moleſtiarum tædia devoranda & perferenda: Sed ad felicem quoque eventum ea, quæ periculoſa primum & omnis metûs plena videbantur, tam mirabiliter tandem perduxit. Hujus fideli bonitati & miſericordiæ me meaq; ſtudia atq; adeò nos omnes deinceps quoq; commendo & trado. *Vobis* autem, *Viri eminentiſſimi*, *honoratiſſimi*, qui inde uſque ab initio ſuſcepti hujus laboris me nunquam non veſtri favoris & benignitatis aurâ

pro-

prosecuti estis, jam nunc debitæ observantiæ & gratitudinis ergò consecro, & ad ve:tros pedes, quin potiùs in vestrum sinum & tutelam decenti animi submissione depono has, quæ tot mihi vigiliis tantisq; laboribus & impensis constiterunt, lucubrationes meas, humiliter orãs atq; obsecrans, ut si nihil aliud, certè quidem meum de scholastica juventute benè merẽdi studium & conatum benignè approbetis. Cætera *Vos ipsi*, pro vestra singulari pietate & sapientiâ ex usu & fructu scholarum rectissimè constituetis.

DEUS OPT. MAX. sibi post hac etiam commendatas habeat Ecclesias & Scholas, earumq; Doctores & Præsides (inter quos *Vestræ eminentißimæ Dignitates* ceu gemmulæ quædam enitent, & olim ut sidera cœli fulgebunt) quàm diutissimè benignissimeq; tueatur & conservet; nobisq; omnibus det Concordiam & pacem, & quicquid animæ & corpori bonum ac salutare esse potest.

Valete feliciter, & vestrum erga me favorem benignè conservate. Lipsiæ 14. Aprilis Anno 618.


VV. Nob. Magn.
Rev. Amplit.

humil. Cliens

M. Johannes Rhenius.

COM-





COMPENDIUM LATINÆ GRAMMATICÆ.

Quid eſt Grammatica?

EST certa loquendi & ſcribendi ratio.

Quot ſunt partes Grammaticæ?

Quatuor: Orthographia, Proſodia, Etymologia, & Syntaxis.

Quomodo differunt hæ partes?

Orthographia verſatur circa literas.
Proſodia circa ſyllabas.
Etymologia circa ſingulas dictiones.
Syntaxis circa dictiones conjunctas, ſeu integram orationem.

DE ORTHOGRAPHIA.

Quid eſt Orthographia?

Eſt pars Grammaticæ, quæ literarum diſcrimen & ſcripturam docet.

Quot ſunt literæ?

Tres & viginti: *A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z.*

His addi poſſunt Jod & Vav Conſonantes, ut, Juvo.

Quomodo dividuntur literæ?

In Vocales & Conſonantes.

Quot ſunt Vocales?

Quinque ſunt ſimplices Latinæ: *a, e, i, o, u,* & una Græca *y.*

Et quinque compoſitæ ſeu Diphthongi: *æ, œ, au, ei, & eu.*

Quot ſunt Conſonantes?

Septendecim, nimirum, reliquæ literæ omnes, præter vocales: *b c d f g h k l m n p q r ſ t x z.*

Quomodo dividantur Conſonantes?

In Simplices & Duplices.

Quot ſunt Simplices?

Tredecim, ex quibus novem dicuntur *Mutæ:* b c d f g k p q t. Quatuor Semivocales ſeu *Liquidæ:* l m n r.

Quot sunt Duplices?

Tres: *x*, *z* & *j* posita inter duas Vocales: *ut ajo, cujus, rejicio, rejecto.*

H est lenis Consonans.

S est litera singularis.

Distinctiones & aliæ Notæ.

Comma , Colon : Semicolon ; Punctum . Signum interrogationis ? Signum exclamationis ! Parenthesis ( ) Diæresis, ut, aër. Subunio, ut, Ref-publica.

DE ETYMOLOGIA.

Quid est Etymologia?

Est pars Grammaticæ, quæ singularum vocum naturam explicat.

Circa quid versatur Etymologia?

Circa dictiones seu voces, quatenus sunt partes Orationis Grammaticæ.

Quot sunt partes Orationis?

Octo: Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Adverbium, Præpositio, Conjunctio, & Interjectio.

Quomodo dividuntur partes Orationis?

In Declinabiles & Indeclinabiles.

Quatuor sunt Declinabiles: *Nomen, Pronomen, Verbum & Participium.*

Quatuor sunt Indeclinabiles: *Adverbium, Præpositio, Conjunctio, & Interjectio.*

Accidentia Partium Orationis.

h. e. quæ circa unamquamque partem considerantur.

Quotuplicia sunt Accidentia Partium Orationis?

Duplicia: Generalia & Specialia.

Quot sunt Generalia?

Quæ omnibus Partibus Orationis conveniunt, & sunt duo: *Species & Figura.*

Quot sunt species Vocum?

Duæ: Primitiva & Derivativa.

Primitiva est, quæ non aliundè derivatur: *ut, schola.*

Derivativa est, quæ aliundè originem trahit: *ut scholasticus.*

Quot sunt Figuræ Vocum?

Duæ: Simplex & Composita.

Simplex est, quæ ex nullis aliis partibus componitur: *ut Lego.*

Composita est, quæ duabus aut pluribus partibus constat: *ut Perlego.*

Quæ

Quæ sunt Accidentia Specialia?

Quæ Declinabilibus tantùm accidunt, & sunt quatuor: *ut, Analogia, Anomalia, Numerus, & Persona.*

Quid sunt Analoga?

Quæ communem Regulam sequuntur.

Quid sunt Anomala?

Quæ non quadrant ad communem Regulam.

Quod sunt Numeri?

Duo: Singularis & Pluralis.

Singularis, qui unum significat: Pluralis, qui plura.

Quod sunt Personæ?

Tres: Prima, Secunda, Tertia.

Regulæ de Personis.

Omnia *Nomina, Pronomina & Participia* sunt tertiæ Personæ, nisi in Vocativo Casu, aut cum *Ego* & *Tu* ponantur. Nam

EGO est primæ Personæ.

TU & omnes *Vocativi* sunt secundæ Personæ.

Quæ cum EGO & TU ponuntur, horum Personam induunt: ut, *Ego Virgilius. Nos poma.*



DE NOMINE.

Quid est Nomen?

Est pars Orationis, quæ rem significat, non agere aliquid aut pati.

Unde cognoscitur Nomen?

Ex Germanica voce **Ein** : ut, *Homo*, **ein Mensch**.

Quotuplex est Nomen?

Duplex: Substantivum & Adjectivum. Et utrumq; vel est Mobile vel Immobile.

Mobile dicitur, quod pro diverso sexu terminationem variat: ut, *Rex regina. Fortis forte. Doctus a um.*

Immobile seu fixum est, quod non variat terminationem pro diverso sexu: ut, *Homo, mensa, felix.*

De Substantivis.

Quid est Nomen Substantivum?

Substantivum est cui non potest addi in Germanica lingua, **Mann/ Weib / Ding** : ut, *Homo.*

Quotuplex est Nomen Substantivum?

Duplex: Proprium & Appellativum.

Quid

Quid est Nomen Proprium?

Proprium est, quod uni certæ rei convenit: ut, *Petrus, Paulus, Roma, Lipsia.*

Quid est Nomen Appellativum?

Appellativum est, quod multis est commune: *ut Homo, urbs.*

Quot terminationum sunt Substantiva Mobilia?

Duarum terminationum: ut, *Rex regina, Dominus domina.*

De Adjectivis.

Quid est nomen Adjectivum?

Adjectivum est cui addi potest in Germanica lingua, Mann / Weib / Ding: ut, *Albus, niger.*

Quot terminationum sunt Adjectiva?

Omne Adjectivum est vel *Unius* terminationis, vel *Duarum*, vel *Trium*: ut, *Felix: Fortis, forte: Bonus, bona, bonum.*

Quæ adjectiva sunt Unius Terminationis?

Unius Terminationis sunt Adjectiva *tertiæ* declinationis, quæ aliter quàm IS & E finiunt: *ut, Felix, Pauper, Vetus.*

Excipiuntur hæc Abundantia: *Acer, alacer, celeber,* & similia.

Et Comparativi in OR & US.

Quæ Adjectiva sunt Duarum terminationum?

Duarum terminationum sunt Adjectiva *tertiæ* declinationis, quæ desinunt in IS & E: *ut, Fortis, forte.*

Et Comparativi in OR & US: *ut, Doctior, doctius.*

Quid hîc notandum est?

Quædam Adjectiva duarum terminationum in IS & E sunt *Abundantia*, quæ Masculinum Genus etiam in ER habent: ut,

Hic Acer, Hic & Hæc Acris, & Hoc Acre.

Sic, *Alacer, celeber, celer, saluber, volucer, campester, equester, pedester.*

Quæ Adjectiva sunt Trium terminationum?

Trium terminationum sunt Adjectiva Secundæ

cundæ & Primæ declinationis, desinuntq; in ER, A, UM: vel US, A, UM: ut,

Niger nigra nigrum.
Doctus docta doctum.
Quibus adde: *Satur Satura Saturum.*
Abundans est: *Dexterus Dextera Dexterum.*
Dexter dextra dextrum.

De Comparatione.

Quotuplex est Adjectivum?

Duplex: Comparabile & Incomparabile.

Quid est Adjectivum Comparabile?

Quod variari potest per gradus Comparationis: ut,

Doctus doctior doctissimus.

Comparatio est variatio Adjectivi per gradus.

Quid est Adjectivum Incomparabile?

Quod per gradus Comparationis variari non potest: *ut, Memor, omnis, almus.*

Quæ Adjectiva comparantur?

Quorum significatio vel augeri vel minui potest, si modò illorum comparationem Usus approbavit.

Quot sunt Gradus Comparationis?

Tres: Positivus, Comparativus & Superlativus.

Quid est Positivus Gradus?

Est prima vox Adjectivi rem absolutè & simpliciter significans: *ut, Felix, fortis, doctus.*

Quot sunt terminationes Positivi?

Septem: ER, ES, IS, US, NS, RS, & X: ut, *Pulcher, acer, locuples, fortis, doctus, sapiens, solers, felix.*

Quid est Comparativus Gradus?

Est, qui supra Positivi significationem *Magis* significat: ut, *Doctior, id est, magis doctus,* noch gelehrter.

Quot sunt terminationes Comparativi?

Duæ: OR & US: *ut, Doctior, doctius.*

Quid est Superlativus Gradus?

Est qui supra Positivi significationem *valdè* seu *maximè significat*: ut,

Doctis-

Doctissimus, i. e. valdè seu maximè doctus, Sehr gelehrt/oder der allergelehrteste.

Quot sunt terminationes Superlativi?

Duæ sunt Masculini generis, SIMUS & RIMUS, quæ moventur in A & UM: ut,

Doctissimus doctissima doctissimum.
Nigerrimus nigerrima nigerrimum.

Unde formantur Comparativus & Superlativus?

A Positivi Casu in I.

Quomodo?

Adjecto OR fit Comparativus:
Adjecto S & SIMUS fit Superlativus; ut,

Doctus doctiOR doctiSSIMUS.
Sapiens sapientiOR sapientiSSIMUS.

Excipiuntur:

Quæ ER finiunt, Superlativum faciunt à Nominativo, adjecto *Rimus*: ut,

Niger nigerrimus.
Acer acerrimus.

Quid

Quid hîc notandum?

1. *Facilis, Agilis, Gracilis, Humilis, Similis,* faciunt Superlativum, mutato IS in LIMUS, *ut:*

Facilis facilior facillimus.
Similis ſimilior ſimillimus. Scal.
Continentur in dictione FAGUS.
Sic & Compoſita: *Difficilis & Diſſimilis.*

2. Compoſita cum verbis *Dico, Volo, Facio,* habent *entior entiſſimus,* ab antiquis Poſitivis in NS: ut,

Maledicus maledicentior maledicentiſſimus.
Benevolus benevolentior benevolentiſſimus.
Sic etiam *Malevolus, Magnificus, Munificus, Honorificus.*
Sed mirificus habet mirificiſſimus tantùm.

3. Quæ vocalem ante US habent, ferè circumſcribunt Comparativum & Superlativum voce *Magis* & *Maximè: ut,*

Idoneus, magis idoneus, maximè idoneus.

Anomala Comparatione.

Bonus	*melior*	*optimus.*
Malus	*pejor*	*peſſimus.*
Magnus	*major*	*maximus.*
Parvus	*minor*	*minimus.*
Multus		*plurimus.*

Multa

multa *plurima*
multum *plus* *plurimum.*

Absque Comparativo singulari in OR.
Plurali verò dicitur *Plures.*

Nequam *nequior* *nequissimus,*
Ab antiquo nequus, quasi non æquus.
Vetus. *veterior* *veterrimus,*
Ab antiquo Veter.
Nuperus *nuperior* *nuperrimus.*

Abundantia.

Imbecillis *imbecillior* *imbecillimus,*
Imbecillus *imbecillior* *imbecillissimus.*
Maturus *maturior* *maturissimus.*
& maturrimus, quasi à Matur.
Exterus & exter exterior extremus & extimus.
Inferus inferior infimus & imus.
Superus superior supremus & summus.
Posterus posterior postremus & postumus.

Defectiva.

Positivo carent:
Interior intimus.
Citerior citimus.
Ulterior ultimus.
Propior proximus, à quo & proximior
Prior primus. (*est.*

Dete-

Deterior deterrimus.
Licentior licentissimus.
Ocior ocissimus ab ὠκίων ὤκιςος.

Comparativo carent.

Inclytus inclytissimus.
Invictus invictissimus.
Novus novissimus.
Meritus meritissimus.
Sacer sacerrimus.

Superlativo carent.

Adolescens adolescentior.
Juvenis junior ex juvenior.
Senex senior.
Sinister sinisterior, & fortè plura.
Solo Comparativo dicitur *Anterior.*

ACCIDENTIA NOMINIS.

Quot accidunt Nomini?

Septem : Species, Figura, Persona, Genus, Declinatio, Numerus & Casus.

In Analysi ordine inverso procedimus.

GE-

GENUS.

Quot sunt Genera Nominum?

Quinque: Masculinum, Fœmininum, Neutrum, Commune & Omne.

Quotuplices sunt Regulæ de Genere?

Duplices: Aliæ traduntur de *Adjectivis*; aliæ de *Substantivis*.

De Genere Adjectivorum.

Quot sunt Regulæ de Genere Adjectivorum?

Tres.

Prima.

Adjectiva *trium terminationum* in prima sunt Generis Masculini: in secunda Generis Fœminini: in tertia Generis Neutrius: ut,

Bonus	*Bona*	*Bonum.*
Hic	*Hæc*	*Hoc.*
Ille	*Illa*	*Illud.*

Secunda.

Adjectiva *duarum terminationum* in primâ ſunt generis Communis: In altera generis Neutrius: ut,

Hic & hæc Fortis & hoc Forte.
Hic & hæc Fortior & hoc Fortius.

Tertia.

Adjectiva *unius terminationis* ſunt generis Omnis: *ut, Vigil, pervigil, par, pauper, uber, puber, degener, congener, bicolor, diſcolor, verſicolor, indecor, bicorpor, tricorpor, memor, immemor, Arpinâs, noſtrâs, ales, dives, hebes, præpes, perpes, teres, locuples, hoſpes, ſoſpes, ſuperſtes, inquies, bipes, tripes, quadrupes, cornipes, compos, impos, vetus, intercus, inops, ſolers, prudens, ſupplex, felix, velox, redux, &c.*

Et utroque numero indeclinabilia hæc: *Nequam, frugi, nauci, nihili, mancipi, ejuſmodi, hujuſmodi, cujuſmodi, & ſimilia.*

Item hæc pluralia tantùm: *Quatuor, quinque, ſex, ſeptem, octo, novem, decem, &c. uſq; ad Centum, item Mille adjectivum: Tot, totidem, quot, aliquot, quotquot.*

Nota.

1. Multa ſunt Adjectiva unius terminationis, quæ neutro genere in Nominativo, Accuſ-

cusativo & Vocativo plurali carent: *ut, Vigil, pervigil, uber, pauper, degener, congener, memor, ales, dives, locuples, sospes, compos, impos, intercus. inops, particeps, artifex, redux, supplex.*

2. Sæpè Adjectiva, mutatâ significatione, Substantivè sumuntur, præsertim Genere Neutro: ut,

Amicus, günstig/ est Adjectivum, Sed *Amicus* ein Freund/ est Substantivum.

Sic: *Vicinus*, ein Nachbar/ *Vicina* eine Nachbarin/ sunt Substantiva. Sed *Vicinus, a, um*, Nahe/ est Adjectivum.

Sic: *Nova libenter audiuntur*, i. e. *Res novæ.*

De Genere Substantivorum.

Quotuplices sunt Regulæ de Genere Substantivorum?

Triplices: Generales, Speciales, & specialissimæ.

REGULÆ GENERALES.

Prima Regula.

In UM & A pluralia Neutra sunt, cujuscunque sint significationis, ut: *Templum, Rhenum, Comum, Latium, ligustrum, arma, Bactra, Susa, Cythera.*

Syntheſis tamen interdum mutat Genus, quando ad intellectum refertur conſtructio : *ut, Senium, qui me hodie remoratus eſt. Mea Glycerium.*

Secunda Regula.

In ON ſecundæ declinationis, quæ Latinè UM habent, Neutra ſunt, cujuſcunq; ſint ſignificationis : ut, *Ilion, um : Lesbon, Abydon.*

Tertia Regula.

In I pluralia Maſculina ſunt, cujuſcunque ſint ſignificationis : *ut, Liberi, Pariſii, Philippi.*

REGULÆ SPECIALES
De Significatione.

Regula I.

Nomina virorum, menſium, ventorum & fluviorum ſunt Generis Maſculini.

Virorum : *ut, Adam, Noba, Verna, pincerna.*
Menſium : *ut, Aprilis, Quintilis, October.*
Ventorum : *ut, Eurus, Zephyrus, Eteſiæ.*
Fluviorum : *ut, Albis, Araris vel Arar, Tiberis, Sala, Mulda.*

Pertinent ad Nomina Virorum :

1. In A verbalia, quæ perſonam ſignificant: *ut, Advena, homicida, collega, incola, indigena, alieni-*

alienigena, unigena, terrigena, conviva, bibliopola, pharmacopola &c.

2. Gentilia fixa seu immobilia: ut, *Persa, Turca, Saxo, Macedo &c.*

3. Nomina propria Spirituum & Deorum gentilium: *ut, Gabriel, Raphael, Satanas, Cupido, Lar &c.*

Quæ nomina Fluviorum excipiuntur?

Fœminina sunt: *Allia, Matrona, Sequana, Druentia, Lupia, Vistula, Styx, Lethe.*

Albula & Mosella communis generis sunt.

Jader Neutrum est.

Nar Est Neutrum & Masculinum.

Regula II.

Nomina mulierum, regionum, insularum, urbium & arborum sunt Generis fœminini.

Mulierum: *Maria, virgo, mater, nurus, socrus, soror.*

Regionum: *Misnia, Ægyptus.*

Insularum: *Delus, Cyprus, Lesbus, Chios.*

Urbium: *Hadria, Tyrus, Trœzen, Salamis vel Salamin, Babylon, Lacedæmon, Sidon.*

Arborum: *Pirus, prunus, quercus, ebenus, ficus, unedo, nux, ilex, larix, salix, smilax.*

Pertinent ad nomina mulierum etiam

Deæ gentiles, Nymphæ, & monſtra fœminea ut, *Juno, Pallas, Venus, Ceres, Clotho, Lacheſis, Atropos, Siren, Sphinx &c.*

Quæ Urbium nomina excipiuntur?

Maſculina ſunt: *Acragas, Narbo, Hippo, Sulmo, Croto*: & in US ex όεις contracta: ut, *Amathûs, Daphnûs, Jerichûs, Emaûs*, & ſimilia. Etſi hæc omnia καθ' ὑπόνοιαν haud rarò etiam fœminino genere legantur.

Communia ſunt: *Camirus, Epidaurus & Pylus.*

Neutra ſunt: *Tibur, Argos, Gadir, Cære, Præneſte.* Dicitur & *Hæc Præneſtis.*

Anxur Hiſtoricis eſt Neutrum, Poëtis ſæpe Maſculinum.

Quæ arborum nomina excipiuntur?

Maſculina ſunt: *Oleaſter, Pinaſter, ſpinus, ſtyrax.*

Neutra ſunt: *Acer, robur, ſiler, ſuber.*

Regula III.

Subſtantiva Mobilia ſunt in priore terminatione Maſculina, in altera Fœminina, ut:

Rex regina *Tibîcen tibicina,*
Cliens Clienta *Inventor inventrix.*

Regula IV.

Com-

Communia quædam pro diverſo ſexu, diverſis Adjectivis Genere maſculino vel Fœminino junguntur, ut ſunt:

Antiſtes, vates, adoleſcens, autor & augur,
Dux, Judex, cuſtos, teſtis, cum cive, ſacerdos.
Municipi adde parens, patrueli, affinis & hoſtis,
Bos, canis, interpres, par, conjux, miles & hæres,
Sus juvenisq; familiaris, martyr, comes, infans,
Hoſpes, nemo, opifex, index, cum principe vindex.

Antiſtes facit etiam Fœmininum *Antiſtita.*
Hoſpes facit etiam fœmininum *Hoſpita.*
Parentes die Eltern eſt tantùm Maſculinum.
Sed *Parentes,* i. e. *Matres,* eſt Fœmininum 14. Met.
Par h. l. ſignificat ein Gatte oder Geſelle.

Regula V.

Nomina *literarum* & omnis vox *Materialiter* accepta, item *Adverbia*, & quævis oratio tàm finita quàm infinita *pro nomine Subſtantivo poſita,* Neutrius generis ſunt, ut:

Nigrum Theta. Cæſar diſyllabum eſt.
Jam cras heſternum conſumpſimus, ecce aliud (cras.
Velle ſuum cuiq; eſt.
Gratum eſt mihi, quòd me inviſis.
Dulce & decorum eſt pro patria mori.

REGULÆ SPECIALISSIMÆ
De Terminatione.

Regula prima.

In A & E primæ declinationis Fœminina sunt: *ut, Mensa, polenta, Epitome, Pentecoste.*

Sed Masculina sunt: *Cometa, planeta, & Hadria pro mari Veneto.*

Dama & Talpa Poëtis interdum etiam Masculina sunt.

Pluralia in Æ Fœminina sunt: *ut, Literæ, nuptiæ, nundinæ, tenebræ.*

Regula secunda.

In A & E tertiæ declinationis Neutra sunt: *ut, Poëma, pascha, cubile.*

Neutra sunt: *Necesse & mille* Substantivum.
Item hæc pluralia: *Mele, tempe, cete.*

Regula tertia.

In I, U & Y Neutra sunt: *ut, Gummi, sinapi, cornu, genu, moly.*

Dicitur etiam hæc sinapis.

Regula quarta.

In O Masculina sunt: *ut, Homo, latro, pugio.*

Excipiuntur:

In DO & GO & in IO Verbalia Fœmini-
na.

na sunt: *ut, Grando, argo, ratio, legio, regio, concio, occasio.*

Sed *ordo, cardo, ligo, margo, & hárpago* Masculina sunt. Margo *rarò Fœmininum est.*

Pondo Neutrum est & indeclinabile.

2. Fœminina sunt: *caro, halo, communio, consortio, conditio, ditio, perduellio, portio, talio, echo.*

Unio pro margarita Masculinum est, aliàs fœmininum.

Regula quinta.

In C, T, AL, & EL, Neutra sunt: *ut, Lac, halec, caput, animal, mel, fel.*

Excipe *Sal,* quod Masculinum est.

Priscis etiam Neutrum fuit.

Regula sexta.

In IL, OL & UL Masculina sunt: *ut, Vigil, Sol, exul.*

Excipe: *Sil, nihil & Nil* Neutra sunt.

Regula septima.

In AN, IN & ON tertiæ Masculina sunt: *ut, Paean, delphin, canon.*

Excipiuntur:

Aëdon, halcyon, icon, sindon, Fœminina sunt.

Regula octava.

In EN Neutra sunt: *ut, flumen, flamen.*

Excipiuntur Mascu-
lina:

Ren, splen, lien, hymen, lichen, attagen, pecten.

Regula Nona.

In AR & UR Neutra sunt: ut, *par*, ein par/ *calcar, ebur, jecur.*

Excipiuntur:

Masculina sunt: *fur, turtur, furfur, vultur, Astur.*

Guttur *apud Plautum etiam Masculinum est.*

Regula decima.

In ER & IR Masculina sunt: *ut, liber, carcer, vir, levir.*

Excipiuntur:

Mulier fœmininum est.

Neutra: *cadaver, iter, cicer, & piper atq; papaver.*
Ver, siler & suber cum verbere, tuber & uber,
Zingiber atq; laser, spinter, siser, addito laver.

Linter Commune est.

Plinius etiam tres siseres dixit.

Tuber *cùm terræ callum aut tumorem significat, Neutrum est: pro arbore autem est Fœmininum: Pro fructu Masculinum.*

Ir *Neutrum est & defectivum.*

In.

Regula undecima.

In OR Masculina sunt: *ut, Amor, honor, furor.*

Excipe:

1. *Arbor* fœmininum est.
2. Neutra sunt: *Æquor, cor, marmor & ador.*

Regula duodecima.

In AS & ES primæ declinationis Masculina sunt: ut, *Tiaras, Boreas, Pyrites, absinthites.* Dicitur etiam *Hæc Tiara tiara.*

Regula decima tertia.

In AS tertiæ declinationis fœminina sunt: *ut, Bonitas, Castitas.*

Excipiuntur:

1. Masculina sunt: *Mas maris, Vas vadis, & quæ* Genitivum per *antis* faciunt: ut, *Adamas, Elephas, Acragas, Atlas.*
2. Neutra sunt: *Vas vasis, fas & nefas,* item *artocreas, erysipelas.*
3. *As assis* cum suis partibus & compositis in S vel X desinentibus Masculina sunt, ut: *Bes, triens, quadrans, quincunx, octussis, centussis &c.*

Regula decima quarta.

In ES tertiæ declinationis parisyllaba fœmini-

minina ſunt: *ut, Nubes nubis, Fames famis.*

Excipiuntur:

1. Maſculina ſunt: *Verres, acinaces, coles.*

2. Neutra ſunt: *Cacoëthes, hippómanes, pánaces, nepenthes.*

3. Communia ſunt: *Palumbes, vepres, torquès,* pro quo & *torquis* dicitur.

Regula decima quinta.

In ES tertiæ declinationis impariſyllaba Maſculina ſunt: *ut, Pes pedis, præs prædis.*

Excipiuntur:

Fœminina ſunt: *Seges, teges, compes, merces, merges, quies, requies, inquies: præpes pro ave.*

Neutrum eſt *æs æris.*

Ales *pro ave Commune eſt.*

Regula decima ſexta.

In ES quintæ declinationis fœminina ſunt: *ut, facies, res, ſpecies.*

Excipe:

Dies *Commune eſt, plurali ferè Maſculinum.*
Meridies *Maſculinum eſt, & ſingulare tantùm.*

Regula decima ſeptima.

In IS fœminina ſunt tàm Græca quàm Latina: *ut, avis, corbis, ſtrigilis, pyxis, paropſis.*

Exci-

Excipiuntur:

Mascula sunt: *panis, penis, crinis, cinis, ignis.*
Funis cum vecti, piscis, fascis, lapis, amnis.
Sic fustis, postis, sic axis, vermis & unguis,
Et collis, follis, callis, glis, sanguis & ensis,
Mugilis & mensis, sic vomis, torris & orbis,
Cassis & cossis, pollis cum caule, canalis,
Anguis, rivalis, natalis & inde molaris,
Et torquis, pulvis, cucumis, majalis, aqualis,
Perq; duellis, mortalis, sentisq;, jugalis.
Uniq; cornis, & æqualis, cum fine sodalis.

Rariùs etiam, apud Poetas præsertim, Fœminina sunt: Finis, funis, anguis, pulvis, sentis, aqualis, jugalis.
Cenchris *pro ave Fœmininum, pro serpente Masc. est.*
Clunis *Fœmininum est: Juvenali etiam Masculinum.*

Regula decima octava.

In OS Masculina sunt: *ut mos, flos.*

Excipiuntur:

Fœminina sunt: *Arbos, cos, dos, Eos.*
Neutra sunt: *Os ossis, Os oris, chaos, epos, melos, telos.*

Regula decima nona.

In US secundæ & quartæ Declinationis Masculina sunt: *ut, Ventus, Paradisus, fructus.*

Exci-

Excipiuntur :

1. Fœminina ſunt : *Alvus, humus, vannus : acus, manus, tribus, porticus, domus, & pluralia Idus & quinquatrus.*

Alvus *apud veteres etiam Maſculinum fuit.*

2. Fœminina ſunt & hæc Græca : *arctus, erémus, abyſſus, antidotus, byſſus, dialectus, diphthongus, lécythus, pharus, methodus, exodus, periodus, ſynodus, diametrus, perimetrus.*

3. Fœminina ſunt: *amethyſtus, cryſtallus, chryſolithus, ſapphirus, biblus, coſtus, cytiſus, hyſſopus, myrtus, nardus, papyrus.*

4. Neutra ſunt : *pelagus, virus.*

Vulgus eſt Neutrum & Maſculinum.

5. Communia ſunt: *hic vel hæc Barbitus, rubus, groſſus, phaſelus, penus, ſpecus, pampinus : hic vel hæc atomus, bálanus, colus, carbaſus.*

Penus & ſpecus *ſunt hoc loco quartæ Declinationis.*

Ficus *pro arbore & fructu Fœmininum eſt, 2. & 4. Decl. Pro morbo Maſculinum & 2. Declin.*

Hyacinthus *pro flore Maſculinum : pro gemma Fœmin.*

Pontus *pro regione Fœmininum, pro mari Maſculinum.*

Tomus *nomen urbis Fœmininum, pro parte operis Maſculinum.*

Regula vigeſima.

In US tertiæ declinationis, quæ U in Genitivo retinent, Fœminina ſunt: *ut, Pecus pecudis, Virtus virtutis, Tellus telluris.*

Excipiuntur:

In

In US Monosyllaba Neutra sunt: *ut, jus, crus, rus, pus, tus.*

Præter Mus *Masculinum*; Grus *Fœmininum.*

Quod Horatio tamen etiam Masculinum est.

Regula vigesima prima.

In US tertiæ declinationis, quæ U in Genitivo mutant, Neutra sunt: *ut, Pecus pecoris, penus penoris, specus specoris.*

Sed Masculinum est Lepus, & à πους *Composita:* ut, tripus, apus, chytropus. *Præter* lagópus *fœmininum.*

Regula vigesima secunda.

In AUS & YS per Y fœminina sunt: ut, *Laus fraus, chlamys, chelys.*

Regula vigesima tertia.

Quæ finiunt S, præcedente consonâ, Fœminina sunt: *ut, ars, puls, hyems, forceps.*

Excipiuntur:

1. Masculina sunt: *Mons, pons, fons, dens, seps, gryps, chalybs, manceps, hydrops, torrens, Tridens, rudens, occidens, oriens, confluens, profluens, Substantiva.*

2. Communia sunt: *scrobs, adeps, serpens.*

Diciturétiam in Nominativo hæc scrobis.

Animans *pro animali est Omne, sæpius Fœmininum.*

Bidens

Bidens *pro ove Fœmininum, pro sarculo Masculinum.*
Stirps *pro arbore seu trunco est Commune.*

3 Neutra sunt: *Ens, accidens, antecedens, consequens.*

Regula vigesima quarta.

In X Fœminina sunt: *ut, pax, nex, nix, nox, nux, falx.*

Excipiuntur:

1. Mascula sunt: *Anthrax & dropax, nycticoraxq;*
Thorax, arctophylax, cordax, harpaxq; colaxq;
Grex, fornix, phœnix, spadixq; calixq; dioryx,
Bombyx, vermis, Eryx & Oryx, quibus addito
coccyx.
Atq; calyx, volvox, esox, traduxq; larynxq;.

Tradux apud Columel. l. 5. cit. etiam Fœm. est.

2. In EX disyllaba Masculina sunt.

Præter hæc fœminina: *vibex, halex, carex, forfex, forpex, tomex.*

3. Communia sunt: *hic vel hæc limax, obex, silex, culex, pumex, cortex, varix, onyx, sardonyx, Item, Hæc & hic imbrex, perdix, natrix, hystbrix, lynx.*

Abax Græcis Masculinum, apud latinos JCtos Fœmininum est.

Calx *pro Materia Fœmininum, pro fine & parte pedis Commune est.*

Atriplex *Fœmininum & Neutrum est.*

Quo-

Quomodo cognoscuntur Genera Defectivorum?

In Defectivis fingatur Nominativus singularis: *ut fauces, opes, frugis, permissu &c.*

DECLINATIO.

Quid est Declinatio?

Est variatio nominis in fine per Casus.

Quot sunt Casus?

Sex: *Nominativus, Genitivus, Dativus, Accusativus, Vocativus & Ablativus.*

Quomodo dividuntur Casus?

In Rectos & Obliquos.

Quot sunt Recti?

Duo: *Nominativus & Vocativus.*

Quot sunt Obliqui?

Quatuor: *Genitivus, Dativus, Accusativus & Ablativus.*

Quot sunt Declinationes Nominum?

Quinque: *Prima, secunda, tertia, quarta, quinta.*

Quot terminationes habent in Nominativo?

Prima habet quatuor terminationes: *a, e, as, & es.*

Secunda habet quinq; latinas: *er, ir, ur, us, um,* & tres Græcas: *os, on, & eus.*

Tertia

Tertia habet undecim: *a, e, o, c, d, l, n, r, s, t, x.*
Quarta habet duas: *us & u.*
Quinta habet unam: *es.*

Typus Declinationum.

Continens mobiles terminationes.

	Sing.				*Plur.*					
	G.D.Ac.V.Ab.				*N.*	*G.*	*D.*	*Ac.*	*V.*	*A.*
1	æ	æ	am	a	æ	arum	is	as	æ	is
2	i	o	um	o	i	orum	is	os	i	is
3	is	i	em	e	es	um	ibus	es	es	ibus
4	us	ui	um	u	us	uum	ibus	us	us	ibus
5	ei	ei	em	e	es	erum	ebus	es	es	ebus

Quæ nomina dicuntur Parisyllaba aut Imparisyllaba?

Parisyllaba sunt, quæ habent pares syllabas in Nominativo & Genitivo: *ut, nubes, nubis.*

Imparasyllaba sunt, in quibus Genitivus excedit Nominativum numero syllabarum: ut, *miser miseri, pes pedis.*

Regula de Declinationibus.

1. Genitivus fit à Nominativo, sed à Genitivo reliqui casus formantur mutatis terminationibus; *ut miles, militis, militi.*
2. Vocativus similis est Nominativo.

Ex

Excipiuntur in singulari, quæ desinunt in as & es primæ, in us secundæ declinationis, & Græca quædam in as, is & ys tertiæ.

3. Neutra habent tres similes Casus, Nominativum, Accusativum & Vocativum, qui in plurali desinunt in a.

Ambo & *Duo* sunt Anomala, sicut & Pronomina *Hæc & quæ*, item *Ego, Tu, Sui.*

4. *Unus, solus, totus, ullus, nullus, alius, uter, alter, neuter, alteruter, uterq; utervis*, in omni genere Genitivum per Ius, & Dativum per I faciunt: ut,

Unus unius uni. *Uter utrius utri.*
Neuter neutrius neutri. *Alter alterius alteri.*

Et hi Genitivi in IUS extra versum I longum habent, præter *Alterius*, quod semper i corripit.

5. In compositis Recti ubiq; declinantur & moventur: Obliqui verò & aliæ particulæ nec moventur, nec declinantur: ut,

Respublica Reipublicæ Rempublicam.
Jusjurandum jurisjurandi.
Uterq; utraq; utrumq;. G. utriusq; D. utriq;.
Utervis utravis utrumvis. G. utriusvis. D. utrivis &c.
Idem eadem idem. G. ejusdem.

Excipe:

Alteruter, alterutra, alterutrum. *Genitivo*

 alteru-

alterutrius, & *alterius utrius* minus usitatè. *Leopardus leopardi.*

Duo *in Compositione per omnia genera est indeclinabile : ut, Duodeviginti horarum spatio, id est octodecim, Sic Duodevigesimo anno i. e. decimo octavo.*

I. DECLINATIO.

Quæ est prima Declinatio?

Prima Declinatio est, quæ habet in Genitivo æ vel es : *Mensa æ, Epitome es.*

Quomodo differunt terminationes primæ Declinationis?

A est Nominum Latinorum & Græcorum: E, AS, ES sunt Græcorum.

Multa etiam Hebræa Græcorum terminationes assumunt : *ut, Adas, Abrahas, Messias, Satanas, Tobias, Salome, Pascha, Manna*
Hinc *Adæ, Abrahæ* apud Prudentium.

Quid notandum est in prima Declinatione?

1. Omnia Græca in AS, ES, & E, Latinè etiam per A efferuntur & prorsus ut Latina declinari possunt : *ut, Ænea, Anchisa, Epitoma G. æ. D. æ & c.*

2. In

2. In A. Fœminina primæ declinationis interdum apud Poëtas habent in Genitivo AI vel âs pro æ: *ut, Aulai pro aulæ, aurâs, Majâs pro auræ, Majæ, imitatione Græcorum.*

Hinc Genitivus antiquus familiâs *mansit in his compositis, Paterfamiliâs, materfamiliâs, filiusfamiliâs.* Livius dicit etiam *paterfamiliæ.*

3. Dativo & Ablativo plurali ABUS habent:

Filia, nata, dea, liberta, equa, mula, duæ, ambæ.

Quibus accedunt: *anima, asina, serva, conserva, socia.*

Dicitur tamen etiam *filiis, natis, deis, equis, animis, asinis, pro filiabus, natabus &c.*

Forma Græcorum,

1. *Anchises, æ* } *æ, en, e, ê.*
Epitome, es }

Plurali ut cætera Latina.

2. Græca in AS, & fœminina in A primæ declinationis habent in Accusativo AM & AN: sed in reliquis casibus declinantur ut Mensa: ut,

Æneas	*Æneam*	*&*	*Ænean.*
Maja	*Majam*	*&*	*Majan.*

3. As & Es primæ declinationis abjiciunt literam S in Vocativo: *ut, Ænea, Anchise.*

II. DECLINATIO.

Quæ est secunda Declinatio?

Secunda Declinatio est, quæ habet in Genitivo I, & in Dativo O: ut,

Liber libri libro.

Genitivus.

1. US, UM, OS & ON mutantur in Genitivo in I. ut,

Herus heri — *Delos Deli,*
Scamnum scamni, — *Ilion Ilij.*

2. Eus per diphthongum habet ei penultimâ brevi: *ut, Orpheûs Orphei.*

3. R assumit I penultimâ brevi: ut, *Puer pueri, Vir viri, Satur saturi.*

Exceptio:

Quæ desinunt in ber, cer, der, fer, ger, per, & ter. excludunt E in penultima Genitivi: ut *liber libri, cancer cancri.*

Retinent tamen E in Genitivo:

Liber pro Baccho, *Liber* Adjectivum.

Liber

Liber pro filio, & *Liberi* plurale Kinder.
Adulter, Asper, Gibber Adjectivum, *Celtiber.*
Lacer, presbyter, prosper, socer.
Et composita à Fero & Gero: *ut Lucifer, armiger.*
Dexter facit *dextri*: Sed *Dexterus dexteri.*
Celtiber habet eri -- Cætera in ER omnia penultimam Genitivi corripiunt.

Accusativus.

1. OS habet in Accusativo ON: *ut, Delos, Delon, Rhodos Rhodon.*

2. Nomina in *eûs* Diphthongum per *um* & *a* faciunt Accusativos: *ut, Orpheus Orpheum & Orphea, vv.*

Vocativus.

Ab US secundæ Declinationis fit Vocativus in E: *Dominus Domine.*

Excipiuntur:

Deus ô Deus, filius ô fili, Meus ô mi.

Propria nomina in IUS per I faciunt Vocativum, abjecto US: *ut, Georgius ô Georgi, Cajus ô Cai, Pompejus ô Pompei, tribus syllabis.*

Ab EUS fit Vocativus in EU: *ut, Orpheus Orpheu.*

DEUS in plurali variat.

N. Dei vel Dij. G. Deorum. D. Deis vel Diis. Ac. Deos. V. Dei vel Dii. Ab. Deis vel Diis.

AMBO & Duo sunt Anomala pluralia tantùm.

N. Duo, a, o. G. orum, arum, orum. D. obus, abus, obus. Ac. os, as, o. V. o, a, o. Ab. obus, abus, obus.

Declina Orpheus.

Singulariter.

Latinè.	*Græcè.*
N. Orpheûs	Orpheús
G. Orphei & Orphi	Orpheos 4. Fast. Ov.
D. Orpheo	Orphei vel Orphei 4. Ecl.
Ac. Orpheum	Orphea
V. ô Orpheu	Orpheu.
Ab. ab Orpheo	

Sic Achilli, Ulyßi, Moysi sunt Genitivi à Nominativis in eus.

III. DECLINATIO.

Quæ est tertia Declinatio?

Tertia Declinatio est, quæ habet in Genitivo IS, & Dativo I: *ut, Pater patris patri.*

Sed

Sed Græca quædam interdum retinent in Genitivo formam in Os: ut, *Genesis Geneseos*, *Erinnys Erinnyos.*

Formatio Genitivi.

Genitivus interdum est parysyllabus, interdum imparisyllabus.

A.

A assumit TIS penultimâ brevi: *ut, Poëma poëmatis, Pascha Paschatis v v.*

E.

E convertitur in IS: *ut, Mare maris, Cubile cubilis.*

In I sunt Indeclinabilia.
Sic & Moly.

O.

O assumit NIS penultimâ longâ: ut, *Ligo ligonis, Comedo comedonis - v.*

Excipiuntur:

1. Gentilia corripiunt O: *ut, Saxo Sáxonis, Teuto Teutonis, Macedo Macédonis, v v. Præter Burgundio onis - v.*

2. In DO & GO fœminina mutant O in INIS penultimâ brevi: *ut, Alcêdo alcedinis, Imago imaginis v v.*

Sic etiam: *Ordo, cardo, margo, homo, nemo, turbo*(pro quo & *Turben* dicitur) *Apollo, Cupido, Pro* filio *Veneris.*

Sed *Unedo* habet *Unedonis* - *v.*

Turbo cum est nomen gladiatoris, habet *Turbonis,*

Tendo, tendonis - *v & tendinis* à Tenden.

3. Singularia sunt: *Caro carnis,* (quod & in Nominativo *carnis* habet) *Anio Anienis, Nerio Nerienis* - *v* ab Anien, Nerien.

4. Græca Fœminina in Omega Genitivum in US faciunt: reliquos Casus in O: *ut, Echo, G. Echûs. D. Echo. Ac. Echo. V. Echo. Ab. Echo, Sic Argo, Archûs &c.*

Talia quoq; sunt:

Ino & Io, Dido, Sappho, Clio atq; Calypso,
Alecto, Clotho, Manto, Callisto, Eratoq; &c.

C, D, AL, EL, OL.

C, D, AL, EL, & OL, assumunt IS penultimâ longâ: ut,

Halec halecis, Bogud Bogudis, Animal animalis, Nabal Nabalis, Daniel Danielis, Sol solis-v.

Exci-

Excipe *Lac lactis, Sal salis, Annibal, Annibalis, Asdrubal Asdrubalis* ∪ ∪, *Mel mellis, Fel fellis.*

Sed *David Davidis* est anceps.

IL, UL.

IL, & UL assumit IS penultimâ brevi : ut, *Vigil vigilis, Exul exulis* ∪ ∪.

AN, IN, YN.

AN, IN, & YN assumit IS penultimâ longâ: *ut, Pan Panis & Panos, Delphin Delphinis, Phorcyn Phorcynis* - ∪.

EN.

En mutatur in Inis penultimâ brevi : ut, *Lumen luminis, Pecten Pectinis* ∪ ∪.

Excipe.

Enis - ∪ habent; *Ren, splen, lien, lichen, attagen, Siren, Trœzen.*

Sed *Hymen hymenis* ∪ ∪.

ON.

ON assumit is penultimâ longâ: *ut, Agon agonis* - ∪

Sic etiam *Ægon, Babylon, Citharon, Cydon, Conon, Corydon, Damon, Deucalion, Dion, Eetion, Endymion. Gideon, Helicon, Hephæstion, Hieron vel Hiero, Lacon, Nasamon, Phædon, Python, Salomon, Sidon, Simeon,*

C 5 *Simon,*

Sinon, Solon, Theon, Theron vel *Thero, Trigon, Triton, Vecton, Zenon* & similia, quæ vel Patronymicorum vel Denominativorum, vel Comprehensivorum Græcorum formam habent: omniaq; ex Græci Genitivi penultimâ rectissimè cognoscuntur.

Excipiuntur:

1. ONIS ⏑⏑ habent: *Dæmon, icon, sindon, canon, pepon, Strymon, Actæon, Mæon, Pæon, Auson, Amazon, Memnon, Lacedæmon, Vascon.*

Item Comparativa, & Polysyllaba in EDON, & à χθὼν Composita: ut, *Arion, Anthedon, Sarpedon, Erisichthon, Melanchthon.*

2 Propria & Patronymica, si habent a vel i longum ante ON, corripiunt Genitivum in ONIS: sin breve, producunt: ut, *Machaon, Lycaon, Amphion, Orion, Cronion,* penultimâ longâ, habent ONIS, ⏑⏑.

Sed *Orion, Cronion,* penultimâ brevi, habent ONIS, – ⏑.

Samson Samsonis est anceps.

3. Propria in PHON, OON, LEON, MEDON & quæcunq; Participiorum Græcorum formam habent, faciunt Genitivum in ONTIS: *ut, Xenophon, Laocoon, Demophoon, Demoleon, Laomedon, Acheron, Charon, horizon, Phaethon, Phlegethon, Ucalegon.*

Præter *Colophon, Typhon, Æthon,* quæ habent ONIS – ⏑.

AR,

AR.

AR assumit IS penultimâ longâ: ut, *Calcar calcaris, Nar naris-v.*

Excipiuntur brevia: *Lar, Cæsar, nectar, jubar, par.*

Singularia sunt: *Far farris, hepar hepatis v v.*

ER.

ER assumit IS penultimâ brevi: *ut, agger aggeris, aër aëris, æther ætheris vu.*

Excipiuntur:

1. ERIS-v habent: *Ver, character, clyster, crater, halter, Iber, panther, spinther, stater.*

2. Adjectiva in BER, CER, STER abjiciunt E: *ut, Celeber celebris, acer acris, paluster palustris.*

Præter *Uber uberis, Puber puberis, Impuber impuberis.*

3. In Substantivis Latinis TER mutatur in TRIS: *ut, Pater patris, frater fratris, sequester sequestris, accipiter accipitris.*

Excipe: *Later lateris, iter itineris, Jupiter Jovis,* ab antiquis *itiner, Jovis.*

4. *Imber* facit *imbris.* Sic etiam *September, October, November, December* & *Gentile Insuber.*

Mulci-

Mulciber habet *Mulciberis*, & per syncopen interdum *Mulcibris*.

IR, UR, YR.

IR, UR & YR per y assumunt IS penultimâ brevi: *ut, Gadir Gadiris, Ligur Liguris, cicur cicuris, martyr martyris* ᴗᴗ.

Excipe:

Oris ᴗᴗ habent: *Ebur, femur, robur, jecur*, quod *jecoris & jecinoris* facit, ab antiquo *Jecinus*.

Sed *Fur furis* - ᴗ.

OR.

Or assumit IS penultimâ longâ: *ut, Honor honoris, Doctior doctioris*.

Excipiuntur:

Oris ᴗᴗ habent: *Arbor, æquor, marmor, memor*: & Composita à Decus & Corpus: *ut, Indecor, bicorpor, tricorpor*.

Item Græca verbalia & Virorum nomina: *ut, Rhetor Rhetoris, Hector Hectoris* ᴗᴗ.

Sed Cor *Cordis* facit.

Ador adoris est anceps.

AS.

AS.

AS habet ATIS penultimâ longâ : *ut, Bonitas bonitatis, primas primatis, Abbas Abbatis - v.*

Excipiuntur :

1. Atis υυ habent : *Anas, atrocreas, erysipelas.*

2. *As assis, vas vasis - v, vas vadis υυ, mas maris υυ.*

3. Græca Masculina habent antis : *ut, Hic Pallas Pallantis, Sic Calchas, adamas, elephas, gigas, Acragas, Atlas.*

4. Græca fœminina habent Adis, υυ : *ut, Hæc Pallas Palladis, Lampas lampadis υυ.*

Sic Patronymica : *Ilias, Thestias, Troas &c.* & Gentile *Arcas Arcadis* ῡυ.

ES.

ES mutatur in Genitivo in IS : *ut, Nubes nubis, Euripides Euripidis, Achilles Achillis, Ulysses Ulyssis, Moses Mosis.*

Excipiuntur Imparisyllaba,
Quorum alia mutant :

1. ES in IDIS υυ ut Composita à Sedeo : *ut, Præses præsidis, obses, reses, deses.*

2. Alia in ITIS υυ quæ hisce versiculis continentur :

Ales

Ales, & antistes, cespes, cocles\[que], comes\[que],
Dives, eques, fomes, gurges, cum\[que] hospite, limes,
Merges & hinc miles, palmes, pedes inde\[que] poples.
Adde satelles, & hinc hospes, stipes\[que] superstes,
Et termes, trames, tudes, addito veles, ames\[que].

3. Alia in ETIS ∪ ∪ ut, *abies abietis, aries, paries, hebes, impes, indiges, interpres, perpes, præpes, seges, teges, teres.*

4. Alia in ETIS - ∪ *ut, Locuples, quies, inquies,* Et Græca quædam: *Cres, lebes, magnes, tapes, trapes, Rhamnes.*

Chremes autem, Dares, Hermes, Laches, Manes, Thales, Eutyches & similia propria, IS & ETIS - ∪ habent: *ut, Chremes Chremis & Chremetis &c.* Sed terminatio ETIS usitatior est.

5. Alia in EDIS ∪ ∪ *ut, Pes pedis,* cum Compositis: *ut, bipes, tripes, quadrupes, compes, sonipes, cornipes, loripes &c.*

6. Alia in EDIS - ∪ *ut, Merces mercedis, hæres hæredis.*

Præs prædis facit, *æs æris, Ceres Cereris.*
Bes bessis.

IS.

IS Genitivum habet Nominativo similem: *ut, collis, apis, febris, strigilis, semissis, Vis G. vis.*

Sic quævis Adjectiva duarum terminationum in IS & E: *ut, Fortis e, impubis e, G. fortis, impubis, &c.*

Impu-

Impubes verò est Adjectivum unius terminationis, G. impubis.

Sed Genitivus *Impuberis* est à Nominativo *Impuber.*

Excipiuntur:

1. ITIS - ᴗ habent: *Dis ditis, lis, Quiris, Samnis.*

Sed *Charis Charitis* ᴗᴗ. *Glis gliris* - ᴗ.

2. IDIS ᴗ ᴗ habent, *Capis, lapis, cenchris, cuspis, cassis* pro galea.

Sic multa Græca, inprimis Patronymica, Gentilia Fœminina; & pleraque Propria: ut, *Ægis, pyxis, aspis, jaspis, promuscis, proboscis, promulsis, iris: Chryseis, Nereis, Sybaritis: Paris, Phalaris, Isis, Thetis.*

Sed *Tigris* habet *tigris & tigridis* ᴗ ᴗ.

Nesis insula, *Nesidis* - ᴗ.

3. ERIS ᴗ ᴗ habent: *Pulvis, cinis, vomis, cucumis*, quæ ab antiquis Nominativis in ER veniunt.

Cucumis etiam parisyllabum est, unde Accusativus *Cucumim.*

Sed *Sanguis sanguinis habet.*

4. Quæ Græce per OS purum declinantur, Latinè tùm fiunt parisyllaba, tum per *eos* Genitivum retinent: ut, *Genesis G. Genesis & Geneseos. Hæresis, G. hæresis & hæreseos &c.*

5. Græca in IS, quæ Græcè finiunt εις, faciunt Genitivum per ENTIS: *Simois Simoentis, Græcè σιμόεις.*

Opois Opoentis, & contractè Opûs Opûntis.

6. Græca

6. Græca, quæ in IS & IN simul desinunt, retinent ex terminatione IN, Genitivum per INIS, - ᴗ ut *Salamis & Salamin Salaminis* - ᴗ.
Sic *Delphis & Delphin, Eleusis & Eleusin.*

Y S.

YS Græca terminatio est, facitque Genitivum.

Vel in YOS ᴗ ᴗ : *Erinnys, yos, yi, yn, y : Capys, yos : Tethys yos*

Vel in YDIS ᴗ ᴗ : ut, *Chlamys, Pelamys.*

Quæ in YS & YN simul desinunt, retinent ex terminatione YN, Genitivum per YNIS - ᴗ ut, *Phorcys & Phorcyn, G. Phorcynis* - ᴗ

OS.

Os habet in Genitivo Oris penultimâ longa : ut, *Mos moris, flos floris, Os oris, honos honoris, glos gloris, pro uxore fratris.*

Excipiuntur

1. Otis - ᴗ habent : *Cos, dos, nepos, Sacerdos.*

Sic & Græca hæc : *Eros, Anteros* : & à κέρας Composita : *ut, Ægoceros, Monoceros, Rhinoceros.*

2. *Custos* habet *custodis* - ᴗ.

Compos compotis ᴗ ᴗ. *Impos impotis* ᴗ ᴗ.

Bos

Bos bovis v v. *Os ossis, Exos exossis.*

3. *Heros herois, Minos minois* - v.

4. Græca Neutra in OS breve suam Græcam Declinationem prorsus retinent : ut τὸ μέλ☉ ἢ μέλε☉ contractè, μέλες. *Sic Chaos, Argos G. Chaus, Argus.*

Virgilius in Ablativo etiam dixit *Chao.*

In plurali Nominativo, Accusativo & Vocativo usurpantur : *Mele, tempe, cete,* ex Græcis, τὰ μέλεα μέλη, τέμπεα η, κήτεα η.

US.

ERIS v v habent viginti : *Acus, fœdus, funus, genus, glomus, latus, munus, olus, onus, opus, pondus, rudus, scelus, sidus, vellus,* Venus, vetus, *viscus, ulcus & vulnus.*

ORIS v v habent quindecim : *corpus, decus, dedecus, facinus, fœnus, frigus,* lepus, *littus, nemus, pectus, penus, pignus. stercus, tempus, tergus.*

UIS v v *Grus, sus.*

UDIS - v *Incus, palus, subscus.*

URIS - v *Jus, crus, rus, mus, plus, pus, tus, tellus.* *Sed Ligus* v v *à Ligur.*

UTIS - v quinque : *Juventus, salus, senectus, servitus, virtus,* Sed *intercus habet Intercutis* v v.

Pecus habet pecoris & pecudis ∪ ∪ *pro diverso genere.*

Græca in ῦς circumflexum, habent ûntis: *ut Trapezûs Trapezûntis, Hierichûs ûntis, Opûs Opûntis.*

A πῦς Composita ODIS ∪∪ habent: *ut Tripus tripodis, Antipus antipodis* ∪∪.

Sed *Oedipus & Polypus* sunt 2. & 3. Decl.

AUS.

In AUS duo sunt: *Laus laudis, & fraus fraudis.*

BS, MS.

BS & MS I interponunt, & penultimam Genitivi corripiunt: *ut, Arabs Arabis, trabs trabis, chalybs chalybis, scobs scobis, scrobs scrobis, hyems hyemis.*

Sed *Cælebs cælibis* ∪∪. *Ples plebis* - ∪. *Urbs urbis.*

LS, NS, RS.

LS, NS, RS, literam S in TIS mutant: ut, *Puls pultis, lens lentis* pro legumine, *frons frontis* pro parte capitis, *Aruns Aruntis, Evans Evantis, amans amantis, legens legentis, pars partis, sors sortis.*

Excipiuntur:

1. Genitivum in DIS habent: *Glans glandis,*

dis, *juglans, lens*, pro fœtu pediculorum, *frons* pro ramo viridi, *libripens, nefrens*, & composita cum nomine Cor: *ut, Concors, discors, excors, vecors.*

2. IENS Participium verbi EO, habet *euntis*, cum Compositis: *ut abiens, adiens, iniens, rediens &c.*

Præter *Ambiens*, quod facit *ambientis*, ab Ambio.

3. *Tiryns* in Genitivo assumit *H, ut Tirynthis.*

P S.

PS I interponit penultimâ correptâ: *ut, Daps dapis, Æthiops Æthiopis, stips stipis* ∪∪.

Excipiuntur:

1. Penultimas producunt: *Seps sepis, ægilops, cyclops, cercops, hydrops, conops, myops ab* ὤψ, ὠπὸς composita.

Sic *stirps stirpis.*

2. EPS ipis facit penultimâ brevi: *ut, princeps, adeps, forceps.*

Præter *Auceps aucupis* ∪∪.

Sed à *caput* composita EPS in *ipitis* ∪∪ mutant: *ut, Anceps ancipitis, biceps, triceps, præceps.*

3. PS in phis mutant: *Gryps gryphis.* ∪ *Cinyps cinyphis* ∪∪.

T.

In T sunt hæc tria declinabilia : *Caput capitis, Occiput occipitis, Sinciput sincipitis.*

AX.

AX in Genitivo habet *acis* penultimâ longâ: *ut, Audax audacis, fornax, limax, pax, thorax, Ajax, Thrax, Phaax.*

Sed *Syphax syphacis* est anceps.

Penultimam Genitivi corripiunt: *Fax facis, abax, climax, corax, nycticorax, colax, dropax, smilax, styrax, arctophylax.*

Sed *harpax harpagis* ∪∪ facit.

Hylax hylactis, Sic & cum ἄναξ composita: *ut, Astyanax, Demonax, Callianax, actis.*

EX.

EX in Genitivo habet ICIS penultimâ brevi: *ut, pollex pollicis, illex illicis* à lacio.

Dicis, vicis ab inusitatis Dex & Vex.

Excipiuntur :

1. ECIS ∪∪ habent : *Nex necis,* antiquum. *Prex precis, Fœnisex, fœnisecis, Resex, resecis* ∪∪.

2. E∪IS -∪ habent: *Halex, vervex, myrmex & Fex*

& *Fex*, quod nonnulli *fæx*, per diphthongum ſcribunt.

3. EGIS ∪∪ habent: *Grex, aquilex.*

4. EGIS -∪ habent: *Rex, lex,* cum compoſitis *exlex, illex.*

Sed *Remex remigis, ſupellex ſupellectilis, ſenex ſenis* ∪∪.

Vibex habet *vibicis* -∪ cujus Nominativus fortaſſis eſt *vibix.*

IX.

IX habet in Genitivo ICIS penultimâ longâ: *ut, Cornix cornicis, felix felicis, pernix pernicis* -∪.

Excipiuntur:

1. ICIS ∪∪ habent: *Pix picis, appendix, coxendix, ibix, filix, larix, ſalix: Calix, cilix, chœnix, fornix, natrix, varix, biſtbrix.*

2. *Maſtix, maſtigis* -∪ facit cum compoſitis: *ut, homeromaſtix homeromaſtigis* -∪.

Brevia ſunt: *Strix ſtrigis*, & *Nix nivis. Sed Biturix biturigis ambiguum habetur.*

YX.

YX per Y in Genitivo mutatur:

1. Vel in YCIS -∪ *ut, Bombyx bombycis, Sandyx, Ceyx.*

2. Vel in YCIS ᴗ ᴗ: *ut, Calyx, Naryx, Eryx*. At *Bebryx bebrycis* est anceps.

3. Vel in YGIS ᴗ ᴗ: *ut, Phryx phrygis, Styx stygis, Japyx, Oryx, dioryx, ortyx.*

Sed *Coccyx coccygis* - ᴗ.

4. Vel in YCHIS aut YCHOS ᴗ ᴗ: *ut Onyx, G. onychis & onychos, Sárdonyx sardonychis & sardonychos* ᴗ ᴗ.

OX.

OX habent in Genitivo OCIS penultimâ longâ: *ut, Vox vocis, celox, ferox, velox.*

Excipiuntur:

1. Cappadox Cappadocis, ᴗ ᴗ. *præcox præcocis*, ᴗ ᴗ.
2. Nox noctis, pernox pernoctis.
3. Allobrox Allobrogis ᴗ ᴗ.

UX.

UX habet in Genitivo UCIS penultimâ brevi: *ut Nux, trux, dux, tradux, redux, volux.*

Excipiuntur:

Conjux conjugis ᴗ ᴗ. *Frux, frugis* - ᴗ.
Lux lucis - ᴗ. *Pollux pollucis* - ᴗ.

Sic *Faux faucis*, quod tamen in Nominativo non legitur.

LX, NX, RX.

LX, NX, RX, mutant X in CIS: *ut, Calx calcis, lanx lancis, arx arcis.*

Excipiuntur: *Phalanx phalangis, meninx meningis, sphinx, sphingis, syrinx syringis, iynx, iyngis, larynx laryngis.*

Accusativus.

Accusativus singularis tertiæ declinationis in EM desinit: *ut, Pater patrem.*

Excipe:

1. IM tantùm faciunt: *Buris, sitis atq; charybdis,*
Tussis, vis, pelvisq;, Maguderis atq; Mephitis.
Præsepis, cucumisq;, ravisq; sinapis, amussis,
Hinc Albis, Fabaris, Tiberis, Leucaspis & Opis,
Tigrisq; Syrtisq;: & in IS residentia Græca.

Cucumis hoc loco parisyllabum est.

2. Quædam habent EM & IM, sed cum discrimine.
Sæpiùs EM *febris, clavisq; & navis, aqualis.*
Sæpiùs IM *puppis, turris, restisq; securis.*

Adde his etiam strigilim & strigilem: Sementem & sementim, quod rarius est.

3. In IS Græcè per IOS aut EOS declinata, habent in *Accusativo* IN & IM, etsi IM rarius est: *ut, Genesis Genesin & Genesim, Charybdis Charybdin & im.* Talia verò sunt apud Græcos 2. Contractorum.

4. Græca, quæ aliter quàm O, aut IS & YS per Y finiunt, faciunt *Accusativum* Græcè in *A,* Latinè in EM: ut,

Aër, aëra & aërem.
Hector Hectora & Hectorem.
Sed Pan *habet* Pana *tantùm.*

Vocativus.

Vocativus similis est Nominativo : *ut, Hæc Pallas ô Pallas.*

Excipiuntur :

Græca Masculina propria in AS, & quævis Barytona in IS & YS per Y abjiciunt S in Vocativo : ut,
Hic Pallas ô Palla, Calchas ô Calcha.
O Mœri, Iri, Pari, Daphni, Tethy.

Ablativus.

Ablativus tertiæ declinationis regulariter in E desinit: *ut, Pater patre, sequester sequestre, sal sale, rudis rude.*

Omnia propria Masculina personam significantia habent E : ut, *à Juvenale, Martiale, Clemente, Felice.*

Excipiuntur :

Quæ vel I tantùm, vel E & I simul habent.

I. Tantùm.

1. Adjectiva duarum terminationum in IS & ER, quorum Neutra in E desinunt, faciunt Ablativum per I tantùm : *ut,*

Fortis

Fortis forte à forti: Acer acris acre ab acri: Atheniensis e ab Atheniensi.

2. Substantiva in IS, quæ Adjectivis similia sunt, faciunt ferè Ablativum per I tantùm: *ut, Ædili, annali, natali, sodali, familiari, populari, rivali, bipenni, triremi, quadriremi.*

Sed *Affinis* sæpius habet *Affine.*

Rudis & volucris Substantiva habent E tantùm.

3. Neutra in E, AL & AR faciunt Ablativum per I tantùm: *ut, Mare à mari, animal ab animali, calcar à calcari.*

Præter *Far, hepar, jubar, nectar*, quæ in Ablativo E habent.

4. Nomina Mensium in IS & ER faciunt Ablativum per I tantùm: *ut,*

Aprilis ab Aprili, Quintilis à Quintili, September à Septembri.

5. Quorum Accusativus per IM tantùm fit, habet etiam in Ablativo I tantùm: *ut, Vis vim vi, tussis tussim tussi.*

6. *Mugilis, canalis, strigilis* habent in Ablativo I tantùm.

E & I simul.

1. Adjectiva unius terminationis habent in Ablativo E & I simul: *ut,*

Felix à felice vel felici, Prudens à prudente vel prudenti.

Nota.

1. *Arpinâs, nostrâs* & similia in âs contracta frequentiùs in Ablativo I habent.

2. Ablativi consequentiæ meliùs per E, quàm per I efferuntur: ut, *Imperante Carolo*.

Excipiuntur:

1. Hæc Adjectiva: *Pauper, hospes, sospes, senex* & à PES Composita habent E tantùm: Sed *memor, artifex & vigil* Adjectiva habent I tantùm.

Præter *Quadrupes à quadrupede vel quadrupedi*, hinc *Quadrupedia* in Plurali.

Nota.

PAR Adjectivum gleich oder gerade / habet in Ablativo I tantùm: *ut Pari*. Composita verò: *Dispar, Impar, Separ* habent e & i.

PAR Substantivum Neutrum ein par / habet in Ablativo *pari*.

PAR Substantivum Commune *pro socio vel socia*, ein Gatte oder Gesell / habet *pare* Ovid. 3. & 4. Fast.

2. Comparativa habent in Ablativo E & I simul: *ut Doctior us, à doctiore vel doctiori*.

3. Quorum Accusativus per EM & IM finit, habent etiam in Ablativo E & I simul: *ut, Navis, navem & navim, à nave & navi.*

4. *Victrix & Ultrix* Adjectivè sumpta habent in Ablativo E & I simul: *ut, Victrice vel victrici, Ultrice vel ultrici.*

5. *Imber, orbis, cannabis, amnis, finis, anguis, unguis, ignis, avis, ovis, civis, classis, fustis, postis, vectis, supellex, tridens, occiput* sæpiùs E, rariùs I habent.

Quid de Græcis notandum?

1. Græca in IS & YS per Y purè declinata habent in Ablativo I vel Y: *ut, Genesis à Genesi, Chelys à Chely.*

2. Græca Neutra in OS, & Fœminina in Omega faciunt Ablativum in O: *ut, Chaos, melos, à chao, melo; Echo, Sappho, ab Echô, Sappho.*

Nominativus pluralis.

Nominativus pluralis in ES, & Neutrorum in A desinit, mutando IS Genitivi in ES vel A: *ut, Pater patris patres: Corpus corporis corpora.*

Excipiuntur:

In IA desinunt omnia, quorum Ablativi finiunt sive I solùm, sive E & I simul: ut,
Mare à mari maria: Calcar à calcari, calcaria: Forte à forti, fortia: Felix à felice vel felici, felicia.

Præter Comparativa, quæ habent A: ut, *Majora, meliora. Sic vetus vetera.*

Plu-

Plus habet *plura* & antiquè *pluria*.
Aplustre facit *aplustria* & *aplustra*.

Genitivus pluralis.

Genitivus pluralis tertiæ Declinationis regulariter in UM desinit: ut *Pater patrum*.

Excipiuntur:

In IUM desinunt omnia, quorum Ablativi finiunt sive I solum, sive E & I simul: ut, *Cubilia cubilium*, *Fortes fortium*, *Felices felicium*.

Sed Comparativa habent UM: *ut*, *Doctiores doctiorum*. Sicut & hæc Adjectiva: *Vigil*, *pervigil*, *celer*, *congener*, *degener*, *uber*, *memor*, *bicorpor*, *tricorpor*, *dives*, *quadrupes*, *vetus*, *inops*, *artifex*, *supplex*. Quibus adde etiam *mugilis* & *strigilis*.

Sed *PLUS tamen plurium facit*.

2. IUM habent: *Caro*, *linter*, *uter*, *sequester*, *Quiris*, *Samnis*, *fornax*.

Fornacum etiam legitur apud Plin.

3. IUM habent in ES & IS parisyllaba, item in NS vel RS desinentia: *ut*, *nubes nubium*, *apis apium*, *animans animantium*, *cohors* cohor-

cohortium. Præter *vates, canis, panis, juvenis, volucris substantivum.*

4. Monosyllaba faciunt Genitivum in IUM: *ut, ars artium,* Præter *ren, splen, fur, pes, præs, fios, mos, tris, grus, sus, laus, fraus, grex, strix, vox, dux, nux, lex, fæx, Rex, frux, lynx. Bos boum facit, Crux crucum & crucium habet.*

5. IUM habent pluralia tantùm: ut, *Mœnia mœnium, Tres trium.* Præter *ambages, cælites, opes, primores, proceres, lemures, Luceres.*

Inveniuntur etiam Genitivi civitatium, Paludium, Serpentium, parentium.

Nota. Quædam & per Syncopen efferri solent: *ut, locupletum, sedum, apum, adolescentum, bidentum, parentum, rudentum, serpentum, cohortum, fornacum, Arpinatum, optimatum, penatum, & similia. Sic Macedûm pro Macedonum, volucrûm equorum apud Ovid. viridûm donorum. Stat.*

Genitivus Græcus in ON sæpè retinetur: *ut, Epigrammaton, hæreseon.*

Dativus pluralis.

Græca in MA geminos Dativos & Ablati-

vos

vos plurales habent, in BUS & IS: *ut, Poëmatibus & poëmatis.*

Bos habet bobus & bubus: Sus suibus & subus.

Accusativus pluralis.

Græci Accusativi terminatio AS brevis est: *ut, Titanas, Heroas, Dryadas.*

IV. DECLINATIO.

Quæ est quarta Declinatio?

Quarta Declinatio est, quæ habet in Genitivo US vel U: *ut, Fructus, us: Cornu, u.*

Antiquè habet in Genitivo i & uis; & Dativo u: ut, fructus, G. fructi & fructuis, D. fructu.

In U sunt in singulari indeclinabilia, *juxta versum Alexandri:*

U non mutabis, donec plurale videbis.

Quarta Declinatio per contractionem è tertia nata est. *Antiqui enim dicebant: Anus hujus anuis, hæ & has anues: posteri autem anûs contractè. Inde fit, ut hæ syllabæ in istis casibus producantur.*

Dativus pluralis.

Dativus pluralis Quartæ Declinationis regulariter desinit in IBUS: *Fructus fructibus.*

Exci-

Excipiuntur:

Arcus, acus, *portus*, *quercus*, ficus, *lacus*, *artus*
U retinent: quibus & tribus atq; veru *& specus*
adde.

Sic etiam Partus & Questus *pro querela, ex quo tamen usitatius est questibus. Cæsar etiam dixit portibus*

Domus *est secundæ & quartæ Declinationis.*

Tolle me, mu: mi, mis, si declinare Domus vis.

S.N. Domus	*P.N. Domus*
G. Domi & domûs	*G. Domorum & domuum*
D. Domui & domo	*D. Dombus*
Ac. Domum	*Ac. Domos & domus*
V. ô Domus	*V. ô Domus*
Ab. à Domo.	*Ab. à Domibus.*

Jesus est Anomalon 4. Declin.

Dat Jesum quarto, reliquis U semper habeto.

S. N. Jesus. G. Jesu. D. Jesu. Ac. Jesum. V. ô Jesu. Ab. Jesu.

V. DECLINATIO.

Quæ est quinta Declinatio?

Quinta Declinatio est cujus Genitivus & Dati-

Dativus desinit in EI divisas syllabas: ut, *Res rei, fides fidei.*

Quid hic notandum?

Nomina quintæ Declinationis Genitivo, Dativo & Ablativo plurali carent.

Excipiuntur: Acies, facies, dies, res, species, superficies.

INDECLINABILIA.

Quid sunt Indeclinabilia?

Indeclinabilia sunt, quæ una terminatione in omnibus Casibus usurpantur.

Regula.

I. Numeralia Cardinalia à *Quatuor ad Centum* inclusivè, & *Mille* Adjectivum, item *Tot, totidem, quot, quotquot, aliquot, quotcunq;* pluralia tantum, & indeclinabilia sunt.

Sed *Mille* Substantivum in Singulari habet tantum N. & Ac. in plurali verò sic declinatur: *Millia millium, millibus, millia, millibus.*

II. Adjectiva: *Nequam, frugi, nauci, nihili, mancipi, ejusmodi, hujusmodi, cujusmodi & similia,* utroq; numero indeclinabilia sunt.

III. Sub-

III. Substantiva Neutra in I: *ut, Gummi, sinapi, stibi &c.* item, *cæpe, gausape, præsepe,* in singulari indeclinabilia sunt. Plurali autem legitur *gausapa & præsepia.*

Pondo *utroq; numero indeclinabile est.*

IV. Indeclinabilia sunt Nomina literarum & quæ Materialiter accipiuntur, item peregrina pleraque, nisi Latinam terminationem assumant: *ut, Adam, Abraham, Seth, Jacob, Joseph, Judith, Jerusalem,* item hæc pluralia *Cherubim & Seraphim.*

Sed Adas, æ, Abrahas, æ, facit.

ANOMALA.

Quotuplicia sunt Anomala?

Quadruplicia: *Anomala Genere seu Heterogenea, Heteroclita, Abundantia & Defectiva.*

ANOMALA GENERE.

Quid sunt Anomala Genere?

Quæ Genus in plurali variant.

Quotuplicia sunt Anomala Genere seu Heterogenea?

Quadruplicia.

1. Masculina, in Plurali Neutra,

Hic Tartarus	*Hæc Tartara*
Avernus	*Averna*
Infernus	*Inferna.*
Dindymus	*Dindyma.*
Gargánus	*Gargána.*
Gárgarus	*Gargara.*
Iſmarus	*Iſmara.*
Mænalus	*Mænala*
Maſſicus	*Maſſica.*
Pangæus	*Pangæa.*
Tænarus	*Tænara.*
Taygetus	*Taygeta.*
Supparus	*Suppara.*

Et quæ in plurali Maſculina & Neutra ſimul ſunt:

Hic Jocus	*Hi Joci*	*&*	*Hæc Joca*
Locus	*loci*		*loca.*
Sibilus	*ſibili*		*ſibila.*
Actus	*actus*		*acta.*
Effectus	*effectus*		*effecta.*
Senſus	*ſenſus*		*ſenſa.*

Sed ferè diverſa ſignificatione.

2. Fœminina in plurali Neutra.

Hæc Carbaſus	*Hæc Carbaſa.*
Pergamus arx Trojana,	*Pergama,*

d *Pergamum* eſt urbs Aſiæ, Galeni Patria.

ňtra in Plurali Maſculina.

Hoc

Hoc cœlum	*Hi cœli.*
Clathrum	*clathri.*
Porrum	*porri.*
Argos	*argi.*
Sed frenum	*freni & frena.*
Rastrum	*rastri & rastra.*
Capistrum	*capistri & capistra.*
Hoc Cicer	*Hi ciceres.*
Hoc Siser	*Hi siseres.*

4. Neutra in plurali Fœminina.

Hoc epulum	*Hæ Epulæ.*
Delicium	*deliciæ.*
Balneum	*balneæ & balnea*
Nundinum antiquum,	*nundinæ* (poët.

Delicia in singulari quoque legitur apud Plaut. & Solinum.

Balneæ sæpè pro thermis in plurali usurpatur.

HETEROCLITA.

Quid sunt Heteroclita?

Quæ in diversis declinationibus flectuntur, aut aliàs à communi declinandi regulâ recedunt.

Quæ sunt Heteroclita?

1. Græca nomina Artium, in singulari Fœmini-

minina ſunt & primæ declinationis: in plurali Neutra & ſecundæ declinationis: ut,

Hæc Grammatica æ, vel *Grammatices*:
Plurali: *Hæc Grammatica orum.*
Sic *Dialectica, Rhetorica, Ethica, Phyſica &c.*

2. Græca quædam in ES præſertim propria, ſunt primæ & tertiæ declinationis: ut,

Orontes, æ & is. *Oreſtes æ & is.*

Sic *Socrates, Bootes, Dares, Drances, Pſaltes*, & peregrinum *Manaſſes.*

3. Secundæ & Tertiæ declinationis ſunt:
Glomus i & eris: Gibbus i eris.
Et duo à πȣ̃ς Compoſita: ut,
Oedipus i & odis: Polypus i & odis.
Cætera à πȣ̃ς Compoſita ſunt tertiæ tantùm: ut,
Tripus tripodis, non *tripi.*
Sic *Antipodes* in plurali.

4. *Vas vaſis* in ſingulari eſt tertiæ, plurali verò *Vaſa vaſorum* ſecundæ eſt, ab antiquo *Vaſum*, quo Plautus utitur.

5. *Jugerum* in ſingulari frequentiùs eſt ſecundæ declinationis, in plurali ſæpiùs tertiæ, ab antiquo *Jugus* vel *Juger.*

Sing.	Plur.
N. Jugerum	*N. Jugera*
G. Jugeri & is	*G. Jugerum.*

D. Ju-

D. Jugero	*D. Jugeribus & is*
Ac. Jugerum	*Ac. Jugera*
V. Jugerum	*V. ô Jugera*
Ab. à Jugero vel e.	*Ab. à Iugeribus.*

6. Quinq; nomina arborum ſunt ſecundæ & quartæ declinationis: ut,

Cornus	*bujus*	*corni*	*&*	*cornus*
Ficus	*bujus*	*fici*	*&*	*ficus.*
Laurus	*bujus*	*lauri*	*&*	*laurus:*
Pinus	*bujus*	*pini*	*&*	*pinus.*
Quercus	*bujus*	*querci*	*&*	*quercus.*
His adde colus bujus		*coli*	*&*	*colus.*

7. Hic & hæc *penus*, *ſpecus* quartæ: Hoc *Penus oris & ſpecus ſpecoris* tertiæ. Sed in quartâ uſitatiora ſunt.

Dicitur *& hoc ſpecu.*

DEFECTIVA.

Quid ſunt Defectiva Nomina?

Quæ vel *Numero* alterutro, vel certis tantùm *Caſibus* deficiunt.

DEFECTIVA NUMERO.

Prima Regula.

Nomina propria quarumcunque rerum, & nomina ætatum, metallorum, mineralium,

lium, virtutum & vitiorum, sunt singularia tantùm.

In quibus tamen observandus est usus Autorum.

1. Propria: *ut, Julius, Roma, Rhenus, Ægyptus.*

Possunt tamen etiam Propria in plurali usurpari, quando vel plures ejusdem nominis significantur, vel appellativè intelliguntur: ut,

Non omnes Fabios abstulit una dies. Ovid.

Non possumus omnes esse Cicerones aut Virgilii.

id est, præstantissimi Oratores aut Poëtæ.

Præter Propria quædam urbium pluralia.

2. Nomina ætatum: *ut, infantia, pueritia, adolescentia, juventus, senectus, senecta, senium.*

3. Metallorum: *ut, æs, aurum, argentum, plumbum, electrum, cuprum, stannum, ferrum, chalybs, orichalcum &c.*

Apud Poëtas tamen leguntur: *æra & æribus, electra, orichalca* propter metri necessitatem.

4. Mineralium: *sulphur, nitrum, antimonium, stibi vel stibium, minium &c.*

Sal tamen integrum est quacunq; significatione.

5. Virtutum: *Pietas, fides, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia &c.*

6. Vitiorum: *superbia, fastus, luxus, luxuria &c.*

Regula secunda.

Nomina ludorum, festorum, & quorundam librorum frequenter numero plurali efferun-

ergo: Et quibus usi sunt antiqui: *lucu, diu, noctu*, pro *luce, die, nocte &c.*

Quid sunt Diptota?

Quæ duobus tantùm casibus usurpantur.

1. In N. & Ac. singulari: *Fas, nefas, instar, volupe*, antiquè *volup*, *necesse* antiquè *necessum, nihil, nil.*

2. N. & Ac. utriusq; numeri: *opus & præstò.*

3. N. & Ab. Singulari: *Vesper, Vespere.*

Nam *vesperi* Adverbium est.

4. G. & Ab. Singulari; *tabi & tabo, spontis & sponte.*

5. D. & Ab. Singulari: *Obtentui obtentu, Nuptui & nuptu, ut, dare nuptui. Sed dare nuptum est Supinum.*

6. Ac. & Ab. Singulari: *Rogatum, u.*

7. V. Singulari: *macte* & plurali *macti.*

Sed *Macte* interdum etiam pro Nominativo & Accusativo usurpatur, *Cic. ad Attic. Macte virtute esto. Liv. lib. 2. Ur. Juberem macte virtute esse.*

Sunt autem voces hortantis; à Nominativo *mactus* quasi *magis auctus*, quo usus est Cato.

8. N. & Ac. plurali: *Suppetiæ, Suppetias.*

Quid

Quid sunt Triptota?

Quæ tribus tantùm Casibus usurpantur: *ut,*

Dica	*dicam*	*dicas*
Tantundem	*tantidem*	*tantundem*
		tantandem
		tantundem
Potis pote	*potes potes*	apud Poëtas.
Arbitratui	*arbitratum*	*arbitratu.*

Quid sunt Tetraptota?

Quæ quatuor tantùm Casibus usurpantur: *Impetis, ab impete, impetibus impetibus.*

Ab antiquo nomine *Impes.*

Repetundæ repetundarum, repetundis, repetundis.

Quid sunt Pentaptota?

Quæ quinq; tantùm Casibus usurpantur: *Vis vis vim vis vi.* Antiquè plurali etiam *vis:*

Grates, gratibus, grates, grates, gratibus.

Astus ab astu hi & hos astus, ô astus.

Situs **Schimmel / Verlegenheit**/ *situm situs situ hos situs.*

Quid præterea notandum est de Nominibus Casu deficientibus?

1. Nominativo & Vocativo singulari carent:

rent: *Vicis, dapis, frugis, precis, opis, ſordis* & apud Poëtas *Proceris*, item Adjectivum *Primoris & primore*. Sed in plurali integrè declinantur.

2. *Plus* caret Dativo & Vocativo ſingulari: Sed in plurali eſt integrum.

Ablativo ſingulari habet *plure* vel *pluri* antiquè.

3. *Os oris & Sol* in Genitivo plurali vix leguntur.

4. *Æs, mel, tus, rus, & ſenſa* Genitivo, Dativo & Ablativo plurali carent.

Cato tamen dixit: *æribus*.

5. *Ambage, erate fauce*, in ſingulari tantùm Ablativo dicuntur, plurali ſunt integra.

6. In ſingulari tantùm Genitivum & Ablativum habent, & in plurali integrè declinantur: *Feminis femine, & verberis verbere*, plurali: *Femina, feminum, feminibus: Verbera, verberum, verberibus &c.*

7. Vocativo carent omnia, ad quæ ſermo dirigi non poteſt, *ut ſunt*:

1. Interrogativa & Infinita: *ut, Quis, qualis, quantus, quotus, quot*, & ab his Compoſita, *ut: Quicunque, qualiscunque, quantuscunque, quotuscunque, quotcunque &c.*

2. Relativa: *ut, Qui, quæ, quod.*

3. No-

3. Negativa: *ut, Nemo, nullus, neuter.*

4. Partitiva quædam: *ut, Quidam, ullus, uter, neuter, alius.*

SPECIES NOMINUM.

Unde formantur Nomina Derivata?

Pleraq; fiunt à Nominibus aut Verbis: *ut, à Roma fit Romanus, à frater fraterculus, à capio capax & captio.*

Pauca quædam fiunt etiam ab Adverbiis & Præpositionibus: *ut, Heri hesternus, Hodie hodiernus, Diu diutinus & diuturnus, Serò serotinus, cras crastinus &c.*

Super superbus, supra superus, infra inferus, ante antiquus & anticus, post posterus & posticus &c.

Quotuplicia sunt Nomina Derivata?

Sextuplicia: Patronymica, Possessiva, Gentilia, Deminutiva, Denominativa & Verbalia.

Quæ ab Advèrbiis & Præpositionibus fiunt, nullis præceptis comprehenduntur.

Patronymica.

Quid sunt Patronymica?

Sunt Nomina Substantiva, quæ à Nominibus *patrum, matrum aut majorum* derivata filium aut filiam, nepotem aut neptem significant: *ut, Iliades,* id est, *filius vel nepos Iliæ: Ilias,* id est, *filia vel neptis Iliæ.*

A πατὴρ Pater, & ὄνομα nomen.

Patronymica fere omnia Græca sunt.

Quot sunt terminationes Patronymicorum?

Quinque: DES & ION Masculinorum: AS IS & NE Fœmininorum.

Cujus Declinationis sunt Patronymica?

In DES & NE sunt primæ: in ION, AS & IS sunt tertiæ declinationis.

Possessiva.

Quid sunt Possessiva?

Sunt nomina Adjectiva, quæ possessionem aut proprietatem aliquam significant: ut, *Homericus versus*, id est, *Homeri. Herilis filius*, id est, *heri*, *Vernus aer*, id est, *Veri conveniens.*

Quo-

Quomodo exponuntur Possessiva?

Per Genitivum sui primitivi, pro quo eleganter poni solent: ut, *Vita humana*, i. e. *hominum: Domus paterna*, i. e. *patris*.

Gentilia.

Quot sunt Gentilia?

Sunt nomina, quæ gentem aut patriam significant; aut à gente vel patria denominationem habent: ut,

Germania	*Germanus*
Lipsia	*Lipsiensis.*

Quotuplicia sunt Gentilia?

Duplicia: Vel enim sunt Substantiva: *ut, Romanus* ein Römer/ *Germanus* ein Deutscher.

Vel Adjectiva: *ut, Romanus* Römisch/ *Germanus* Deutsch.

Deminutiva.

Quid sunt Deminutiva?

Deminutiva sunt, quæ deminutionem primitivi sui significant: *ut Lapillus*, id est, parvus lapis, *Filiolus*, id est, parvus filius.

Quis

Quis est usus Deminutivorum?

Deminutiva adhibentur:

1. Ad significandam rei parvitatem: ut, *cultellus*, id est, parvus culter.

2. Ad blandiendum: ut, *Meum corculum.* Sic *Glycerium* à Glycera: *Erotium* ab Eros.

3. Ad significandam modestiam: *ut Ingeniolum.*

4. Festivitatis causâ: *ut, fraterculus gigantum.*

5. Contemptûs causâ: *ut, Captiuncula, parasitaster.*

Denominativa.

Quid sunt Denominativa?

Quæcunque ab aliquo nomine derivantur & non sunt Patronymica, Possessiva, Gentilia aut Deminutiva: *ut, Justitia à justus. Ferreus à ferrum.*

Huc pertinent etiam Numeralia, quæ maximam partem sunt Denominativa.

DE NUMERALIBUS.

Quid sunt Numeralia?

Numeralia sunt, quæ numerum aliquem significant.

Quæ sunt præcipuæ species Numeralium.

Cardinalia, Ordinalia & Distributiva.

Quid sunt Cardinalia?

Cardinalia sunt, quæ numerum absolutè significant: *ut, unus, duo, tres, quatuor, quinque, sex, septem, octo, novem, decem, undecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, sedecim, septendecim, octodecim, novendecim, viginti, viginti unus, viginti duo &c. triginta, quadraginta, quinquaginta, sexaginta, septuaginta, octoginta, nonaginta, centum: ducenti, trecenti, quadringenti, quingenti, sexcenti, septingenti, octingenti, nongenti, mille. Duo millia & bis mille, Tria millia & ter mille &c.*

Huc referri potest & *Sesqui* **Anderthalb.**

Horum interrogatio est QUOT?

Quid sunt Ordinalia?

Ordinalia sunt, quæ ordinem significant: *Vel*, quæ ultimum ejus numeri significant à quo denominantur. Val. l. 3. c. 5. *ut, primus, secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus, octavus, nonus, decimus, undecimus, duodecimus, decimus tertius, decimus quartus, decimus quintus &c. vigesimus vel vicesimus, trigesimus vel tricesimus,*

ſimus, quadrageſimus, quinquageſimus, ſexageſimus, ſeptuageſimus, octogeſimus, nonageſimus, centeſimus, ducenteſimus, trecenteſimus, quadringenteſimus, quingenteſimus, ſexcenteſimus, ſeptingenteſimus, octingenteſimus, nongenteſimus, milleſimus, bis milleſimus, ter milleſimus &c.

Horum interrogatio eſt QUOTUS?

Quid ſunt Diſtributiva?

Diſtributiva ſeu Partitiva ſunt, quæ eundem numerum ſingulis multorum diſtribuunt: *ut, ſinguli,* engelicht/ein jeder für ſich; *bini* je zweene/ *terni ſeu trini,* je drene / *quaterni, quini, ſeni, ſepteni, octoni, noveni, deni, undeni, vel undecini, duodeni, deni terni vel terdeni, quaterndeni, quindeni, vel quini deni, vel deni quini, ſedeni vel deni ſeni, viceni ſinguli, vel ſinguli & viceni, viceni bini &c. triceni (quadrageni a* cardinalibus ginta in geni) *quinquageni, ſexageni, ſeptuageni, octogeni, nonageni, centeni, ducenteni, trecenteni, quadringenteni, quingenteni &c. vel per ſyncopen duceni, treceni, quadringeni, quingeni &c. Milleni, bis milleni, Valla lib. 3. cap. 5.*

Horum interrogatio eſt QUOTENI?

Accepimus ternos thaleros, **Wir haben ein jeder drey Thaler empfangen.**

Verbalia.

Quid sunt Verbalia?

Verbalia ſunt, quæ à Verbis aut eorum Participiis deducuntur, & non ſignificant tempus: *ut, Cubile à cubo, lectio à lectum.*

Inter hæc præcipuum quoddam eſt *Gerundium.*

De Gerundio.

Quid eſt Gerundium?

Eſt Nomen Subſtantivum Verbale in Dum, ſingulare tantùm, & per omnes Caſus declinabile, præter Vocativum.

A quibus Verbis deſcendunt Gerundia?

Ab omnibus Activis Neutris & Deponentibus.

Quibus addi poteſt Verbum paſſivum Vapulo.

Quam ſignificationem habent Gerundia?

Activam, Paſſivam & Neutralem, pro diverſitate Verborum & Caſuum.

Quæ à Neutris fiunt, ſemper etiam neutralem ſignificationem retinent.

Nominativus, & interdum etiam Accuſativus

tivus significationem verbi exprimit cum necessitate quâdam seu officio: *ut, Abeundum est, surgendum est, vapulandum est.*

Video mihi jam surgendum esse.



DE PRONOMINE.

Quid est Pronomen?

Est vox, quâ utimur in demonstranda aut repetenda re, ubi Nominis repetitio ingrata erat futura.

Vel: *Est vox declinabilis per Casum, significans personam primò sine tempore.*

Quot sunt Pronomina?

Viginti: Ex quibus undecim sunt Primitiva: *Ego, tu, sui, hic, iste, ille, ipse, is, qui, quis, vel qui.*

Pro *ipse* Comici quoque dicunt *ipsus.*

Novem sunt Derivativa: *Meus, tuus, suus, noster, vester, nostrâs, vestrâs, cujus & cujâs.*

Quotuplex est Pronomen?

Duplex, Aliud est Substantivum: *ut, Ego, Tu, Sui.*

 Aliud

Aliud eſt Adjectivum: *ut reliqua omnia*, Præter, *Ego, Tu, Sui.*

Ex quibus tamen: *Hic, iſte, ille, ipſe, is, qui, quis vel qui* in genitivo ſingulari & plurali ſæpe abſolutè pro Subſtantivis ponuntur: ut, *Pater hujus, mater illorum.*

Subſtantiva etiam ſunt hæc pluralia tantùm: *Mei* **die meinigen/** *Tui* **die deinigen/** *Sui* **die ihrigen.**

Quid, aliquid, ecquid, quicquid, quippiam in ſingulari ſemper ſubſtantivè ſumuntur.

Accidentia Pronominis.

Quot accidunt Pronomini?

Octo: Species, Figura, Significatio, Perſona, Genus, Declinatio, Numerus & Caſus.

In Analyſi ordine inverſo procedimus.

SIGNIFICATIO.

Quot ſunt ſignificationes Pronominum?

Sex: Demonſtrativa, Relativa, Reciproca, Interrogativa, Poſſeſſiva & Gentilia.

Quæ Pronomina ſunt Demonſtrativa?

Ego

Ego, Tu, Hic, Iste, Ille, Is, Illic, Istic, Ego ipse, Tu ipse &c.

Quæ sunt Relativa?

Ille, Ipse, Is, Idem, qui, & interdum etiam, *Hic & Iste.*

Quæ sunt Reciproca?

Sui & Suus.

Dicuntur Reciproca, quia referunt se ad eandem tertiam personam, quæ præcedebat.

Quæ sunt Interrogativa?

Quis vel *Qui, Cujus & Cujas* : item hæc composita: *Ecquis, ecquisnam, numquis, quisve.*

Interrogativa quando non interrogant, infinitè ponuntur: *ut, Nescio quis hic sit. Scribe quid profeceris, Dic cujum sit pecus.*

Quæ sunt Possessiva?

Meus, tuus, suus, noster, vester.

Significant etiam Possessionem Genitivi Pronominum: *Hic, Iste, Ille, Is, Ipse, quis, qui, item Cujus a um.*

Quæ sunt Gentilia?

Nostrâs & Vestrâs.

Significant gentem, patriam, familiam aut sectam, *ut, Nostrates facetiæ. Vestratia vina.*

De Relativis & Reciprocis.

Quotuplicia sunt Relativa.

Duplicia: Substantiæ & Accidentis.

Quid sunt Relativa Substantiæ?

Relativa Substantiæ sunt, quæ referunt antecedens Substantivum: *ut, Ille, Ipse, Is, Idem, Quis, item Hic & Iste.*

Quid sunt Relativa Accidentis?

Relativa Accidentis sunt, quæ referunt antecedens Adjectivum: ut sunt ex Nominibus: *Talis, qualis: tantus, quantus: Tot, quot,* cum nihil interrogant, sed infinitè ponuntur.

Quando utimur Reciprocis?

Cum actio verbi reflectitur ad eandem personam agentem, quæ præcedebat: ut, *Christus dedit se pro nobis in mortem.*

Quotuplex est Reciprocatio?

Duplex: Alia est simplex seu proxima: Alia Composita seu Retransitiva.

Quid est Reciprocatio simplex?

Simplex Reciprocatio est, quæ fit unico verbo tertiæ personæ.

Seu, In qua Reciprocatio ad eandem tertiam

tiam personam præcedentem simpliciter reddit: *ut, Petrus excusat se.*
Petrus excusat filium suum.
Orare jussit hera, ut ad se veniam.

Quid est Reciprocatio Composita seu Retransitiva?

Quæ duobus aut pluribus verbis tertiæ personæ constat.

Seu, Ubi Reciprocatio personam tertiam proximam transit, & præcedentem notat: *ut, Orare jussit hera Chrysidem, ut ad se* (scil. ad heram) *veniat.*

Pythius à piscatoribus petiit, ut piscarentur ante hortos suos, scil. Pythii.

PERSONA.

Quot sunt Personæ Pronominum?

Tres: Prima, secunda, tertia.

Ego est primæ personæ,

Tu est secundæ personæ, cum omnibus Vocativis.

Omnia Pronomina, præter *Ego* & *Tu*, sunt tertiæ personæ, nisi in Vocativo Casu, aut cum *Ego* & *Tu* ponantur, sive expressè, sive in verbo implicitè: *ut, Sum qui sum. Qui legis. Qui scribimus. Sed tamen ipse veni &c.*

GENUS.

Quot sunt Genera Pronominum?

Quinque: Masculinum, Fœmininum, Neutrum, Commune & Omne.

Regula.

1. *Ego, Tu, Sui*, sunt Substantiva generis Omnis.

2. *Nostrâs, vestrâs, cujâs* sunt Adjectiva unius terminationis, & ideò Generis Omnis.

Olim hæc per *atis ate* fuerunt terminata: *ut, Nostratis nostrate &c.*

3. *Quisquam* Communis generis est, sicut antiquè etiam *Quis*, quacunque significatione.

Reliqua Pronomina sunt trium terminationum & Generum: *ut, Hic, hæc, hoc &c.*

DECLINATIO.

Quomodo declinantur Pronomina?

Primitiva ferè suam peculiarem habent motionem & declinationem, quæ ex Donato requirenda est.

Derivata verò moventur & declinantur, ut nomina Adjectiva trium aut unius terminationis.

Regu-

Regulæ.

1. Pronomina carent Vocativo, præter hæc quatuor: *Tu, meus, Noster*, & *Nostras*, & quæ præterea verbis secundæ personæ præponi, aut cum particulis exclamandi aut vocandi jungi possunt: ut,

Aperite actutum aliquis hoc ostium. Ter.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor. Virg.
Ipse meus æther suscipe summe preces. Ovid.
Tu mihi libertas illa paterna vale. Tib.
O nox illa, quæ tenebras attulisti! Cic.

2. *Quis vel Qui* apud Veteres habet in Ablativo singulari etiam *Qui* per omnia Genera: ut, *Quicum, Quivis &c.*

Quicum usurpatur etiam in plurali pro *quibuscum* Plaut. Capt. 5. 4.

3. Aliquis, ecquis, nequis, nunquis & siquis in fœminino singulari & Neutro plurali habent a pro æ: ut,

Aliquis, aliqua, aliquid & aliquod. Pluraliter aliqui, aliquæ, aliqua, sicut Nomina.

Sed dicitur tamen etiam ecquæ *aut* ecquænam *in singulari fœminino*, & siquæ *in Neutro plurali.*

Regula de Compositorum declinatione?

In Compositis *Recti* tantùm declinantur

tur & moventur: *Obliqui* verò & aliæ particulæ indeclinabiles sunt.

Declina Quisquis.

Singulariter.

N. Quisquis		*Quicquid*
G. Cujuscujus	Olim etiam cuicui. Hinc cuicuimo-	
D. Cuicui	modi passim apud Cic.	
Ac. Quemquem		*Quicquid*
Ab. Quoquo	*quaqua*	*quoquo.*

Pluraliter.

N. Quiqui		*quæquæ*
G. Quorumquorum		
D. Quibusquibus		
Ac. Quosquos		*quæquæ*
Ab. Quibusquibus		Vide Vall. l. 3. c. 16.

Defectiva.

TUTE, TETE.

N. Tute - *v tantùm*
Ac. Tete - - *tantùm.*

SESE.

Ac. Sese
Ab. Sese } *in utroq; Numero.*

HICCINE.

Singulariter.

N. Hic-

N. Hiccine	*Hæccine*	*Hoccine*
Ac. Hunccine	*Hanccine*	*Hoccine*
Ab. Hoccine	*Haccine*	*Hoccine.*

Pluraliter Hæccine in Neutro tantùm

ISTIC.

Singulariter.

N. Istic	*Istæc*	*Isthoc*	*vel*	*Istuc*
Ac. Istunc	*Istanc*	*Istoc*	*vel*	*Istuc*
Ab. Istoc	*Istac*	*Istoc.*		

Pluraliter Istæc in Neutro tantùm.

ILLIC.

Singulariter.

N. Illic	*Illæc*	*Illoc*	*vel*	*Illuc*
Ac. Illunc	*Illanc*	*Illoc*	*vel*	*Illuc*
Ab. Illoc	*Illac*	*Illoc.*		

CUJUS.

Singulariter.

N. Cujus	*cuja*	*cujum*
Ac. Cujum	*cujam*	*cujum*
Ab.	*cuja*	

Pluraliter.

N.	*cujæ*
Ac.	*cujas, cæteris caret.*

Quisquam & unusquisque sunt *singularia tantùm.*

Qui.

Quicunq; *habet in Neutro* Quodcunq; *tantùm, non etiam* Quidcunq;.

Ecquisnam, Ecquænam, Ecquidnam & Ecquodnam, *Plura hinc non leguntur.*

DE VERBO.

Quid est Verbum?

Est vox significans agere aliquid aut pati.

Vel, *Est pars orationis cum Tempore & Modo rem aliquam significans.*

Unde cognoscitur Verbum?

Ex Germanicæ linguæ particulis, Ich/ du/ er/ wir/ ihr/ sie:

Quotuplex est Verbum?

Duplex: Personale & Impersonale.

Quid est Verbum Personale?

Quod omnes tres personas habet, aut in Modo finito saltem admittit Nominativum: *ut, Ego lego, tu legis, ille legit.*

Parvum parva decent.

Quid

Quid est Verbum Impersonale?

Verbum Impersonale est, quod tantùm in tertia persona singulari conjugatur, nec admittit ante se Nominativum: *ut*, *Libet*, *licet*, *decet*, *oportet* &c.

Nisi quando interdum personaliter usurpatur: *ut*, *Illud mea magni interest.*

Juxta Varronem ideo dicitur *Impersonale*, quòd præcipuis personis, prima videlicet & secunda, privetur.

Accidentia Verbi.

Quot accidunt Verbo?

Octo: Genus, Species, Figura, Modus, Numerus, Persona, Tempus & Conjugatio.

GENUS.

Quid est Genus Verborum?

Est ipsa Verborum sub certa significatione terminatio.

Quot sunt Genera Verborum?

Quatuor: *Activum*, *Passivum*, *Neutrum* & *Deponens*.

Quid est Activum?

Activum est, quod in O desinit, Actionem in aliud transeuntem significans, & habet Passivum in OR: ut, *Amo amor*, *Lego legor.*

Hoc

Huc pertinent etiam, *Ajo, Volo, Nolo, Malo,* & id genus alia, etiamsi non habeant Passivum in OR.

Quid est Passivum?

Passivum est, quod in OR desinit, Passionem ab alio receptam significans, & habet Activum in O: *ut, Amor Amo, Legor Lego.*

Sunt etiam Passiva hac tria in O: Fio, Veneo, Vapulo, quæ terminatione sunt Anomala.

Quid est Neutrum?

Neutrum est quòd in O desinit, immanentem actionem aut passionem significans, nec habet Passivum in OR: *ut, Ambulo, curro, sto, sedeo, frigeo, caleo, exulo.*

Quando actio non *in Personam*, sed *in rem tantùm* tranit, tunc passivum propriè tertiam tantùm habet Personam: *ut Ædificatur ædificantur. Sic aratur, bibitur, bigilatur, properatur, editur, bibitur &c.*

Pertinent huc etiam *Sum, Forem & existo.*

Quid est Deponens?

Deponens est, quod in OR desinit, Activè aut absolutè significans, nec habet Activum in O: *Precor, Labor.*

Olim etiam fuerunt quædam Communia in OR, Activè & Passivè significantia, quorum Passiva significatio & constructio jam desiit, etsi Participia quædam Passiva in usu sunt.

SPE-

SPECIES.

Quotuplicia sunt Verba derivativa?

Quadruplicia: *Verbalia, Nominalia, Adverbialia & Præpositionalia.*

Verbalia, *quæ à Verbo descendunt: ut, Capesso à Capio, esurio ab edo.*

Nominalia, *quæ à Nomine fiunt: ut* Fortunà *fortuno*, liber *libero*, humus *humo*, hiems *hiemo*, salus *saluto*, pater patri *patrisso &c.*

Adverbialia, *quæ ab Adverbiis fiunt:* ut Cras *procrastino*, perendie *comperendino*, satis *satio.*

Præpositionalia, *quæ à Præpositionibus formantur: ut,* Intra *intro as*, super *supero.*

Quotuplicia sunt derivata Verbalia?

Quadruplicia: nimirum Inchoativa, Frequentativa, Desiderativa & Deminutiva, *ex quibus Inchoativa quædam etiam sunt Nominalia.*

Inchoativa.

Quid sunt Inchoativa?

Inchoativa sunt derivativa Verbalia vel Nominalia, quæ in SCO desinunt, & per *incipio* vel *fio* exponi possunt: ut,

Labaſco, *id eſt, incipio labare.*
Luceſcit, *id eſt, incipit lucere.*
Matureſco, *id eſt, fio maturus.*
Veſperaſcit, *id eſt, fit veſpera.*

Cujus Conjugationis ſunt Inchoativa?

Sunt tertiæ Conjugationis: ut, *Labaſco labaſcere, ſeneſco ſeneſcere.*

Qualia Præterita habent Inchoativa?

Quæ à Verbis veniunt, Præteritum Primitivi ſui retinent: *ut, Veſperaſcit veſperavit: Seneſco ſenui: Illuceſcit illuxit: Obdormiſco obdormivi.*

Quæ verò à Nominibus veniunt, Præteritis carent: *ut, Herbeſco, dumeſco, dieſcit, nocteſcit, iraſcor.*

Sic & quæ pro Thematibus uſurpantur: *Hiſco* ich muckſe/ loqui conor, *& Fatiſco* ich zerlechſe rimas ago, carent Præteritis.

Frequentativa.

Quid ſunt Frequentativa?

Frequentativa ſunt derivata Verbalia, quæ in SO, TO aut XO exeunt, & aſſiduitatem vel conatum ſignificant.

Expo-

Exponi autem possunt vel per *Crebrò seu assiduè*: ut Lectito, *id est crebrò vel assiduè lego.*

Agito, *id est, crebrò seu frequenter ago.*

Vel *per Valdè*: ut, clamito, *id est, valdè clamo.*

Vel *per diligenter*: ut, Visito, *id est, diligenter Viso.*

Vel *per conatum*: ut, viso, *id est, EO ad videndum.*

Capesso, *id est, EO ad capiendum.*

Cujus Conjugationis sunt Frequentativa?

Sunt primæ Conjugationis: *ut Pulso pulsare &c.*

Excipiuntur hæc sex verba, quæ sunt Tertiæ: *Arcesso vel Accerso, capesso, facesso, incesso, lacesso, viso.*

Desiderativa.

Quid sunt Desiderativa?

Desiderativa seu *Meditativa* sunt, quæ à Supino derivata, in URIO desinunt, & studium seu voluntatem significant.

Exponi possunt *per cupio vel conor*: *ut*, Parturio, *id est, conor parere, vel laboro in pariendo.*

Quomodo formantur Desiderativa?

Mutando UM Supini in URIO, U brevi: ut, *Edo esum esurio.*

Quid hîc notandùm?

Verba in URIO, quæ non fiunt à Supinis non sunt desiderativa, & U producunt: ut, Scaturio, scalpurio, *idem quod scateo & scalpo scatûris.* Sic *Prurio, cucurio, ligurio.*

Cujus Conjugationis sunt Desiderativa?

Quartæ Conjugationis: *ut, Esurio ire.*

Deminutiva.

Quid sunt Deminutiva?

Quæ in ILLO desinentia, deminutionem sui primitivi significant: ut.

Sorbeo sorbillo, *id est, modicè sorbeo.* *Canto* cantillo, *id est, parùm canto.*

Hûc, istûc, illûc, eò, eôdem, istò, aliò, quò, aliquò, nequò, utroque, neutrò, quoquò, quocunque, quovis, quolibet, quopiam, usquam, nusquam, intrò, foràs, peregrè, longè, ultrò, citrò, ulteriùs, porrò, usque.

Quæ significant VERSUS LOCUM?

VERSUS LOCUM significant, quæ responderi possunt ad quæstionem QVORSUM? Wo hinwerts? Wo gegenwerts? ut,

Horsum, istorsum, illorsum, aliorsum, dextrorsum, sinistrorsum, lævorsum, introrsum, extrorsum, retrorsum, rursum, prorsum, seorsum, sursum, deorsum, quorsum. pessum versus, sursum versus, deorsum versus, quoquo versus, quoq; versus, introrsus, extrorsus, item *Susq; deq;.*

Quid præterea de Adverbiis LOCI observandum est?

1. Quæ

1. Quædam LOCI Adverbia pluribus Locorum differentiis accommodantur: ut,

Intus, *Foris*, *Infernè*, & *Supernè* significant in Loco & de Loco.

Usquam, *Nusquam* & *Longè* significant in Loco & ad Locum: ut, *Longè abest*, *Proficiscor longiùs*.

Peregrè significant In loco, De loco, & ad locum: ut, *Peregrè absum*, *Peregrè abeo*, & *Peregrè redeo*.

2. Quædam Adverbia Loci personarum quoque differentias admittunt: Sic,

Primæ Personæ sunt: *Hic*, *hûc*, *hâc*, *hinc*, *horsum*.

Secundæ Personæ sunt: *istic*, *istûc*, *istâc*, *istinc*, *istorsum*.

Tertiæ Personæ sunt: *illic*, *illûc*, *illò*, *illâc*, *illinc*, *illorsum*.

Reliqua indefinitè quarumlibet Personarum sunt: ut, *alibi*, *aliunde*, *ubicunq;*, &c.

Per Enallagen sæpè etiam *Localia* quædam pro *Temporalibus* usurpantur: ut, *Ibi* pro Tum **domals**/ *Ubi* pro postquam **nachdem**.

2. TEMPORIS.

Quotuplicia sunt Adverbia TEMPORIS?

Duplicia: Alia sunt definiti Temporis: Alia Indefiniti temporis.

Quæ Adverbia ſunt definiti Temporis?

Quæ certum aliquod tempus definiunt, ſuntque vel Præſentis Temporis: ut,

Hodiè, jam, nunc, modò jetzund / *adhuc* noch.

Vel Præteriti Temporis: ut,

Dudum, jamdudum, jamdum allbereit / *pridem, jampridem, antea, antehac, abhinc, nuper, modò* newlich / *pridiè, heri, nudius tertius,* vor dreyTagen / *nudius quartus* vor vier Tagen / *&c. Olim, aliquando, quondam* vor zeiten.

Nudius tertius, quaſi nunc dies tertius.

Vel Futuri temporis: ut,

Cras, perendie, poſtridie, mox, propediem, deinde, deinceps, dehinc, porrò, poſtea, poſthac: Olim, aliquando, quondam mit der Zeit.

Quæ Adverbia ſunt Indefiniti Temporis?

Quæ nullam certam temporis ſpeciem ac terminum definiunt: ut,

Aliquando, bißweilen / *interdum, ſubinde* jehent hand / *quoad, unquam, nunquam, nondum, confeſtim, protinus, continuò, extemplò, ſtatim, citò, actutum, repentè, ſemper, uſq; perpetuò, æternùm, ætatèm, diu, jamdiu, aliquandiu, aliquantiſper, pauliſper, modicùm, puſillùm, manè, veſperi, opportunè, tempeſtivè, tempori, commodùm* gleich

gleich zu rechter Zeit/*cùm vel quùm* **als**/*quando, siquando, quandoq;, tum, nunc, modò* **bißweilen**/ *nunc* (quando geminatur **bald diß / bald jenes**) *donec, donicum.*

Nota. Olim, Aliquando, Quondam *sunt Præteriti & Futuri temporis* **vorzeiten / vnd mit der Zeit/oder einmal.**

Aliquando *est etiam temporis Indefiniti* **biß- weilen.**

Usque *est temporis indefiniti. Absolutè positum significat* **stets**: *cum particula A vel Inde significat* **von**: *Cum Præpositione Ad significat* **biß.**

3. NUMERI sunt, quæ responderi possunt ad quæstionem QVOTIES? **Wie offt**/ *Semel, bis, ter, quater, quinquies, sexies, septies, octies, novies, decies, undecies, duodecies, tredecies, quatuordecies, quindecies, sexdecies, septemdecies, octodecies, novendecies, vicies, vicies semel, vicies bis, vicies ter, vicies quater, vicies quinquies, vicies sexies, vicies septies, vicies octies, vicies novies, tricies, quadragies, quinquagies, (Plautus quinquagesies) sexagies, septuagies, octogies, nonagies, centies, (antiquè centiens) ducenties, trecenties, quadringenties, quingenties, sexcenties, septingenties, octingenties, nongenties, millies, (antiquè milliens) toties (antiquè totiens) multoties, aliquoties, sæpè, rarò.*

Item, *Rursus, iterum, tertiùm, quartùm, &c.* ut, *Tertiùm jam est Consul* zum dritten mal.

Ovidius 2. Fast. etiam *Quartò*, pro, quartâ vice dixit.

Ter conata loqui, ter destitit, ausaq; quartò,
Non oculos ideò sustulit illa suos.

4. QVANTITATIS: ut, *quæ responderi possunt ad quæstionem QVANTUM* Wie viel? *Multùm, parum, pusillùm, aliquantùm, modicùm, satis, nimiùm, plurimùm:* longè, latè, profundè, altè, crassè.

5. QVALITATIS: ut, *quæ responderi possunt ad quæstionem QVOMODO* Wie oder welcher gestalt? *Ita, sic, aliter, secus, benè, malè, pulchrè, fortiter, subitò, vicissim, invicem,* id est, per vices, *contrà*, id est, contrario modo, *susq; deq;* (nisi localiter exponas) *omninò, breviter, strictim, punctim, furtim, raptim, qualiter, qualitercunq; utcunq;*

6. SIMILITUDINIS: *Ita, ut, uti, velut, veluti, sic, sicut sicuti, tanquam, perinde, prout, ac si, quemadmodum, quasi, ceu, item, itidem.*

Quasi à veteribus Latinis accipitur pro Ferè: ut, *Erant quasi quatuor millia hominum.* Est Græcismus.

7. INTENDENDI: ut, *quæ responderi possunt ad quæstionem* QVANTOPERE? Wie sehr? *Valdè, præ-*

prorsus, omninò, penitùs, perquàm, sanequàm, nimisquàm, admodum, adeò, tàm so sehr/ *quàm* wie sehr/ *ut* wie sehr/ *magnoperè, maximoperè, summoperè, tantoperè, vel; etiam.*

8. REMITTENDI: *Sensim, paulatim, pedetentim, propè, propemodum, fermè, ferè, penè, ægrè, vix, aliquantum, quasi.* Et Deminutiva: ut, *paulò, paululùm, parumper, clanculùm, longiusculè, meliusculè, sæpiusculè, belle, tantùm non, modò non.*

9. MINUENDI: *saltem, minimùm, at, certè, vel* zum wenigsten doch.

10. COMPARANDI: *Magis, minùs, tàm* so wol/ *quàm* als/ *præcipuè, inprimis, præsertim, tanquam, æquè, perinde, proinde,* item omnia Adverbia Comparativa & Superlativa: ut, *sæpiùs, diutiùs, &c.*

11. ELEVANDI: *scilicet, nimirum, videlicet.* Ja freylich.

Ter. *Id populus curat scilicet.*
Virg. *Scilicet is superis labor est.*

12. DUBITANDI: *Utrum, an, num, ne enclitica:* cùm significant ob/ oder/ item, *forsan, forsitan, fortassis, fortaße & fors* Poeticè.

Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent Effugia. 2. Æn.

13. INTERROGANDI Adverbia respiciunt Alia quæstionem An sit: *ut, Num? nunquid? an? utrum? nonne? & Ne Enclitica?*

Alia quærunt de causa: *ut, cur? quare? quamobrem? quapropter? quid ita? quidni? quin, pro, cur non?*

Alia de loco: *ut, Ubi? Utribi? Quò? Utrò? Unde? Quò? Quorsum?*

Alia de Tempore: *ut, Quando? Quoad? Quousque? Quamdiu?*

Alia de Numero: *ut, Quoties? antiquè Quotiens?*

Alia de quantitate: *ut, Quantum? Quantulum?*

Alia de qualitate: *ut, Quomodo? Quî? Qualiter?*

Alia de Intensione: *ut, Quàm? Quantoperè?*

Nota. Si non interrogant hæc Interrogativa, tunc sunt aut *Infinita*; ut, *Nescio ubi frater sit. Videbo fecerit ne.*

Aut *Relativa*: ut, *Ubi vult esse, ibi est.*

14. AFFIRMANDI: *ita, etiam, sic, quidni, maximè, omninò, planè, sanè, certè, verè, reverà, reapse, scilicet, videlicet, quippe, nempe, nimirùm, immò, quidem, equidem.*

15. NEGANDI: *Haud, non, nequaquam, haudquaquam, neutiquam, minimè, nullatenus.*

Item,

Item illa, quæ pariter extenuant & negant, *ut, Ne* ſequente *quidem & Nec: ut,*

Ne obulum quidem habet, unde reſtim emat.

Eôdem referri poſſunt & illa, quæ Linacer Adverbia negatæ ſolitudinis appellat: ut, *Non ſolùm, non tantùm, non modò, nedum.* Sic *Nihil* Adverbialiter ſumptum: *ut, Nihil circuitione uſus es,* pro, *Non.*

16. DEMONSTRANDI: *En, ecce, & Hem* interdum apud Comicos: *ut, Hem Davum tibi. Hem puer.*

17. JURANDI: *Næ, profectò, verò, Amen, Sic* interdum, quando aſſeverandi gratiâ uſurpatur: *ut, Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos.*

Indigna ſunt Chriſtiani ore & auribus Ethnica ſeu Diabolica illa portenta: *Pol,* id eſt, per Pollucem. *Ædepol,* id eſt, per ædem Pollucis. *Æcaſtor,* id eſt, per ædem Caſtoris. *Mecaſtor, Mehercules* inquit Feſtus, quaſi, ita me Caſtor, ita me Hercules juvet. *Medius fidius,* id eſt, per Deum Fidium, quem fidei præeſſe crediderunt.

18. HORTANDI: *Eja, age, agite* wolan, *agedum, agite dum, Cedò* per Antimeriam, *Quin,* ſed cum correctione quadam: ut,

Quin compeſcitis iſtam vocem. Cic.

Age interdum etiam eſt corripientis: ut, *Age, ſcis quid loquar,* Ter. Interdum excitantis, & apud Poetas ponitur plerunque poſt *Nunc.*

Nunc age naturas, apibus quas Juppiter ipse
Indidit, expediam. 4. Georg.

Est & consentientis: ut, *Age age traducatur Bacchis*. Ter.

19. OPTANDI: *Utinam, ô si, sic, ita, ut,*
Sic pater ille Deûm faciat, sic magnus Apollo. 10. Æn.

20. CONGREGANDI seu COMITANDI: *simul, unà, pariter, collectim, summatim, gregatim.*

21. SEPARANDI: *seorsum, separatim, privatim, secus, secretò, divisim, singulatim, vel sigillatim.*

22. DISTRIBUENDI: *ut, bipartitò, bifariam, trifariam, dupliciter, tripliciter, multipliciter, &c.*

23. EXCLUDENDI: *solùm, tantùm, modò, solummodò, tantummodò, duntaxat, pax, unicè, præcisè.*

24. RESTRINGENDI: *Ut, quà, quatenus, quoad.*

25. PROHIBENDI: *Ne, nequaquam, minimè.*

26. CONCEDENDI: *sanè, sanè quidem, ilicet.*

27. CORRIGENDI: *Immò, quinimmò, potiùs, magis, veriùs.*

28. OR-

28. ORDINIS: *Primò, secundò, tertiò, postremò, ultimò.*

29. EVENTÛS: *fortè, fortuitò, casu* ohn gefehr/ *forte fortuna, invanum, incassum, frustrà, inaniter.*

COMPARATIO.

Quæ Adverbia comparantur?

I. Orta ab Adjectivis comparabilibus, faciuntque Comparativum in *ùs*, & Superlativum in *mè*: ut,

Fortiter	*fortiùs*	*fortissimè.*
Doctè	*doctiùs*	*doctissimè.*
Celeriter	*celeriùs*	*celerrimè.*
Invitè	*invitiùs*	*invitissimè.*
Parùm	*minùs*	*minimè &*

minimùm diversa significatione.

—	*Magis*	*maximè.*
—	*Ocius*	*ocissimè.*
Nuper	*nuperiùs*	*nuperrimè.*
Propè	*propiùs*	*proximè.*
Validè	*validiùs*	*validissimè.*
Et per Syncopen:	*Valdè*	*valdiùs sine Superlativo*
Serò	*seriùs.*	—

II. Comparantur etiam Adverbia quædam, non nata ex Nominibus: ut,

Sæpè

Sepè	*ſæpiùs*	*ſæpiſſimè.*
Diu	*diutiùs*	*diutiſſimè.*
Penè	—	*peniſſimè.*
Penitus	*penitiùs*	*penitiſſimè.*
Satis	*ſatiùs*	—
Secus	*ſeciùs*	—
Tempori	*temporius*	-- quod à

Subſtantivo *Tempus* deſcendit.

SPECIES.

A quibus partibus Orationis derivantur Adverbia?

Ab omnibus, præter Conjunctionem & Interjectionem.

FIGURA.

Cum quibus componuntur Adverbia?

1. Cum Nominibus: *ut, Dextrorſum,* id eſt, *dextram verſus, ſiniſtrorſum,* id eſt, *ſiniſtram verſus.*

2. Cum aliis Adverbiis: *ut, Quorſum,* id eſt, *quo verſus, quouſque, tantummodò.*

3. Cum Conjunctionibus, teſte Priſciano: *ut, Sicubi, necubi, nuncubi, ſicunde, necunde, ſiquando, nequando, nunquando.*

4. Cum

4. Cum Præpositionibus: *ut*, Fabrè, *affabrè, infabrè: perdiu, interdiu, inibi, deinde, perinde, subinde, adhuc, abhinc, dehinc, derepentè, quoad.*

5. Cum syllabicis adjectionibus: QUE, *ut, Ubiq;, undiq;, quandoq;*: Nam, *ut, Ubinam, quonam*: dem: *ut, Ibidem, indidem*: vis: *ut, Ubivis, quovis*: libet: *ut, Quolibet, qualibet, undelibet*: cumque: *ut, Ubicumq;, quocumq;, quacumq;, undecumq;, quandocumq;, quotiescumq;, quomodocumq;, utcumq;.*

6. Ex pluribus: *ut, Quemadmodum, quare, quamobrem, obviam, ilicet, scilicet, &c.*

DE PRÆPOSITIONE.

Quid est Præpositio?

PRæpositio est Pars orationis, propemodum ut Articulus Verbo Nomen adjungens, quod aliquam facti circumstantiam significat: ut,

Cum bonis ambula.

Quotuplices sunt Præpositiones?

Duplices: Aliæ sunt *Separabiles*, aliæ *Inseparabiles*.

DE

De Separabilibus.

Quæ sunt Separabiles Præpositiones?

Quæ separatim etiam extra Compositionem usurpantur: ut, *Ad, Apud, Ante, &c.*

Quomodo dividuntur Præpositiones Separabiles?

Trifariam: Quædam *Accusativum* regunt: Quædam *Ablativum*: Quædam *utrumque Casum.*

Quot Præpositiones Separabiles regunt Accusativum?

Triginta: *Ad, Apud, Ante, Adversus, Adversum, Cis, Citrà, Circum, Circa, Circiter, Contra, Ergá, Extra, Inter, Intra, Infra, Juxta, Ob, Peñes, Per, Pone, Post, Præter, Prope, Propter, Secundum, Supra, Trans, Versus, Ultra.*

Quæ Præpositiones Separabiles regunt Ablativum?

Sedecim: *A, Ab, Abs, Absq;, Cum, Clam, Coram, De, E, Ex, Pro, Præ, Palam, Procul, Sine, Tenus.*

Clam *interdum etiam regit Accusativum.*

Liv. l. 6. ab U. C. *Rem creditori palam populo solvit.*

Palam & Procul sæpius fiunt Adverbia.
Tenus & Versus suo Casui postponi solent.

Quot

Quot Præpositiones Separabiles regunt utrumq; Casum?

Quatuor: *In, Sub, Super, & Subter.*

Quid præterea observandum est de Præpositionibus Separabilibus?

Quando Præpositiones amittunt Casus, fiunt Adverbia: *ut, Longo post tempore venit. Eorum vitam, ac mortem juxta æstimo.* Sal.

Procul & Versus etiam fiunt Adverbia, quando cum aliis Præpositionibus junguntur: ut,

Procul à nobis.

Ad meridiem versus.

2. Præpositiones *in Compositis* plerunque significationem suam retinent: ut, *Accurro, adeo, abeo, amens, antecedo, detero, exhaurio.*

Excipe:

1. IN cum Nominibus aut Participiis per se composita, *privationem* significat: ut, *Injustus, iniquus, indoctus, intemeratus, inhumatus, infandus, infractus,* quasi non fractus.

Sed cum Verbis & Participiis inde deductis composita, *auget* significationem: ut, *Infringo,* id est, valdè frango, & hinc Participium *Infractus,* id est, valdè fractus.

2. PER

2. PER auget significationem simplicis: ut, *Percharus, pervigil, perfero.*

Interdum etiam privat: ut, *Perfidus, id est, qui est sine fide. Perjurus,* id est, *qui est sine juramento & jure.*

3. SUB minuit significationem: *ut, Subtristis, subrideo.*

4. DE & EX modò privant, modò augent significationem: *ut, Déamo,* id est, valdè amo. *Demiror,* id est, valdè miror. *Demens,* id est, sine mente, *Exos, exsanguis, exclamo, extollo, exaggero.*

DE interdum motum ad locum vel ad personam significat: *ut, Defero, deduco.*

De Inseparabilibus.

Quæ Præpositiones dicuntur Inseparabiles?

Quæ separatim extra Compositionem non usurpantur: Suntque novem:

An, Am, Dis, Di, Ne, Re, Se, Ve, Con.

Quid significant hæ Præpositiones in Compositione?

1. AN & AM significant *circum.*

Et AN quidem ex Græco ἀν pro ἀνά esse videtur. Olim erat separabilis: ut,

An-

Anterminum, id est, circum terminum. Cato in originibus Oratorum.

Hinc *Annus, annulus, anfractus, ancisus, anquiro.*

Ante B, M, P, litera N transit in M, *ut, Amputo.*

AM verò, quando sequente vocali assumit B, est ex antiqua Præpositione *Ambe*, ex Græca Macedonica ἀμϐὶ pro ἀμφὶ: *ut, Ambio, ambedo, amburo, ambarvalia.* Varro de Lingua Latina.

2. DIS & DI ex græco Adverbio δὶς, id est, *bis*, notant divisionem in duas partes: ut, *Disseco*, id est, in duas partes seco. *Sic Dirumpo, diffindo, dispicio, diffideo*, q. in diversas partes sedeo, per Metaphoram **ich bin uneins.**

Interdum privationem seu negationẽ certæ rei significant: *ut, Difficilis, diffido, dissimilis.*

3. NE significat privationem: *ut, Nefas, nefastus, nefrens.* Scal. l. 13. c. 20.

Et tunc corripitur NE.

Quando autem compositum aliquod est ex Adverbio NE, tunc producitur: ut, *Nequaquam, nequicquam.*

4. RE significat Rursum: *ut, Relego.*

Vel Retrorsum: *ut, Respicio.*

5. SE significat Seorsum: *ut, Secedo.*

Interdum privandi vim habet: ut, *Securus*, id est, sine curis. *Secors* vel *Socors*, id est, sine corde seu prudentia, Sicut *cordatus* prudens dicitur.

Nam quidã Philosophi putarunt: *Animæ sedem esse* cor, quæ tamen totum corpus informat.

6. CON significat idem quod *cum* vel *simul*: *ut, Conjungo, connecto, compono, colligo, comburo*, ubi etiam B euphoniæ gratiâ inseritur.

Ante Vocales amittit N: ut, *Coalesco, coëo, coincido, cooperio.*

DE CONJUNCTIONE.

Quid est Conjunctio?

Conjunctio est pars Orationis, quæ superioribus sententiis aut partibus subinde alias annectit: ut,

Nox & amor, vinumq; nihil moderabile suadent.

Quot accidunt Conjunctioni?

Quatuor: Significatio, Ordo, Species & Figura.

SIGNIFICATIO.

Quot sunt significationes Conjunctionum?

Sunt sequentes duodecim:

1. Copulativæ: *Ac, atq; &, etiam, item, itemq;, nec, neq;, neu, neve, que, quoq;, cùm, tùm, simul, quinetiam, sed &, adeò, pro etiam.*

2. Conditionales: *Si, sin, ni, nisi* **Wo nicht** / *siquidem, modò, dùm, dummodò, quòd, si, quoad, quatenus, alioqui, cæteroquì, aliâs.*

3. Exceptivæ: ut, *Nisi* **ohne nur** / *præterquam, extraquam.*

4. Dis-

4. Disjunctivæ: *Aut, seu seu, sive sive, ve, vel, sed* **sondern.**

5. Explanativæ: *Seu, sive, vel, &, scilicet, videlicet, nempe, nimirum, què, putà, utpote, ut.*

6. Concessivæ: *Etsi, etiamsi, tametsi, quanquam, quamvis, licèt, ut, quidem, equidem, sanè.*

7. Adversativæ: *Ast, at, atqui, autem, interea, interim, tamen, sed* **aber** / *sed enim, verò, verùm, verumenimverò.*

8. Causales: *Enim, etenim, nam, namq;, quia, quod, quò, quoniam, quippe, quando, quandoquidem, siquidem, ideo, propterea, cùm* **dieweil** / **ob, weil das** / *postquam, ut, ne, quò, quin.*

9. Conclusivæ: *Ergo, ideo, igitur, idcircò, itaque, proinde, propterea, quare, quamobrem, quapropter, quocirca, uteq;.*

10. Electivæ: *Quàm, ac, atq;.*

11. Continuativæ: *Primùm, deinde, præterea, tum, item, insuper, deniq;, postremo, porrò, ceterùm, adhoc, adhæc.*

12. Completivæ: *Nam, ergò, igitur, quidem, equidem, sanè, dùm.*

ORDO.

Quotuplex est Ordo Conjunctionum in oratione?

Triplex: *Præpositivus, Postpositivus & Communis seu Indifferens.*

Quæ Conjunctiones sunt Præpositivi Ordinis?

Quæ in oratione tantum præponuntur: *ut, Ac, ast, at, nam, nec, si, nisi sir, quin, seu, sive, verùm.*

Quæ sunt Postpositivi Ordinis?

Quæ in Oratione tantùm postponuntur: *ut, Autem, enim, quoque, verò.* Et Encliticæ particulæ: *que, ne, ve, quæ tonum suum rejiciunt in finem dictionis, cui adhærent.*

Quæ sunt Ordinis Communis?

Quæ in oratione aliâs præponuntur, aliâs postponuntur: *ut, Ergo, igitur, itaque, quoniam, tamen &c.*

DE INTERJECTIONE.

Dicitur sic, Quia interjicitur in oratione.

Quid est Interjectio?

Interjectio propemodum non est dictio, sed plerumq; sonus inconditus, animi affectum significans.

Vel: *Est vox animi affectum, aut gestum corporis significans, quæ posita in oratione per se animum auditoris explet.*


Quot accidunt Interjectioni?

Unum, nempe significatio.

Quot

Quot sunt genera significationum Interjectionis?

Totidem ferè, quot *affectus animi* aut *gestus*.
Nam, Aliæ Interjectionum sunt:
Admirantis: *Papæ, vah, hui, hem.*
Approbantis *vel* Laudantis: *Euge, eja.*
Blandientis: *Eja, sodes, amabò, quæso.*
Indignantis: *Hem, ehem, vah, hau, oh, ô, proh, malùm.*
Comminantis: *Væ, hem.*
Metuentis: *at at.*
Dolentis: *heu, eheu, hei, ah, proh, ô.*
Lacrimantis: *hei, hoi, oh, ohe, ohe.*
Gaudentis: *Evax, jô, hô, evohæ, jû.*
Ridentis: *ha ha he.*
Irridentis: *hui, vah, hem, eja.*
Fastidientis: *ohe, phy.*
Vocantis: *ô, heus, eho.*
Respondentis: *hem, ehem.*
Revocantis: *Eja, Plaut. Casin. 3. 6.*
Exclamantis: *ô, adeò.*
Silentium præcipientis: *au, st, pax, ho.*



C. C. R.

SYNTAXIS.

Quid est Syntaxis?

Est pars Grammaticæ, quæ dictiones inter se rectè componere docet, ad efferendam animi sententiam.

Dicitur à συντάσσω, id est, coordino, construo.

Quotuplex est Syntaxis?

Duplex:

Alia est *Intransitiva* seu *Convenientiæ*, quæ fit in eodem Casu vel Persona: ut,

Bonus vir. Deus pater. Ego lego.

Alia est *Transitiva* seu *Rectionis*, quæ fit in diverso Casu vel Persona: ut,

Domus patris. Honestum tibi. Dignus honore. Scribo literas. Obsequere patri tuo.

De Syntaxi Intransitiva Nominum, Pronominum & Participiorum.

In eodem Casu conjunguntur vel Adjectivum & Substantivum: vel duo aut plura Substantiva; quam posteriorem formam *Appositionem* vocant.

Regula I.

Wenn ein Adjectivum zum Substantivo gesetzt wird/ so stehen sie gleich in Genere, Numero vnd Casu.

Adjectivum & Substantivum eodem *Genere, Numero & Casu* cohærent: ut,

Bonus vir est commune bonum. Menander.
Meus pater, Mea mater, Meum pallium.
Liber lectus. Epistola lecta.

Pronomina & Participia sunt etiam Adjectiva, prætèr *Ego, Tu, Sui.*

Nota. Interdum etiam Græcorum more, Substantivo Masculini aut Fœminini generis additur Adjectivum Neutrum, Substantivè positum: ut,

Dulce satis humor.
Varium & mutabile semper Fœmina.

I. I.

Relativum cum antecedente suo Substantivo necesse est *Genere* & *Numero* consentire: *Casu* autem convenire necesse non est. Nam is sequenti voci respondet, à qua regitur: ut,

Dabo tibi omnia, quorum causâ ad me scripsisti.
Habeo tibi honorem, quo dignus es.
Accepi literas, quæ ad me scriptæ sunt.
Hi sunt illi, quibus celeriùs huc venisti.
Hæc est arbor, de qua mihi dixisti.

Quid hîc notandum?

1. Relativum inter duo Substantiva *diversorum Generum* positum, tàm Sequenti quàm Antecedenti rectè respondet.

Antecedenti: ut,

Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixêre Chaos. Ovid.

Sequenti: ut,

Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur. Salust.

Animal plenum consilij, quem vocamus hominem. Cic.

Ad eum locum, quæ Pharsalia appellatur. Cæs.

2. Cùm ad Verbum, vel totam orationem præcedentem Relativum infertur, Neutro Genere plerumque ponitur: ut,

In tempore ad eam veni, quod rerum omnium est primum. Ter.

Qui habet salem, quod in te est. Ter.

III.

Wenn ein Substantivum das ander beschreibet/was es sey/ so stehen sie in gleichem Casu, welches eine Appositio genennet wird.

Appositionem vocarunt, cùm duo vel plura Substantiva *sine Conjunctione*, de eâdem re dicuntur in eodem Casu: ut,

Deus pater. Christus Dominus.

Ego Virgilius, Marcus Tullius Cicero Consul.

Tullij-

Tulliola mea deliciæ.

Effodiuntur opes irritamenta malorum. Ovid.

Si in Appositione *posterius Substantivum* est Mobile, tunc etiam eodem Genere & Numero convenire debent: ut,

Gladius ultor, Non, *ultrix.*

Lauri victrices, Non, *victores.*

Sed Epicœnis & Neutris jungitur Masculinum: ut,

Aquila rex avium, Non, *regina.*

Tempus discipulus & Magister multorum.

IV.

Zwey oder mehr Substantiva, **da eine** Conjunctio Copulativa **darzwischen stehet / haben nach sich ein** Plurale.

Duo vel plura Substantiva per Conjunctionem copulata adsciscunt qualecunque Appositum Plurale.

Sive illud Appositum sit Substantivum, sive Adjectivum, sive Verbum, sive Participium aliquod: ut,

Virgilius & Ovidius Poetæ.

Damonem & Pythiam Pythagoréos ferunt hoc animo inter se fuisse. Cic.

Furor iraq; mentem præcipitant. Virg.

Nota.

1. Quod si Substantiva illa copulata sunt *res animatæ,* & Genere aut Personâ discor-

dant, tunc in Apposito Plurali, dignioris habetur respectus.

Dignius autem est *Masculinum* Genus Fœminino & Neutro, & *Fœmininum* est dignius Neutro Genere.

Prima Persona præstat Secundæ & Tertiæ, Et, *Secunda* quoq; Persona præstat Tertiæ: ut,

Cupido Venusq; Dij.

Mars & Venus capti.

Pater & mater sunt salvi.

Ego & frater meus adhuc valemus.

Si tu exercitusq; valetis, bene est. Cic.

Si plura Substantiva *rerum inanimatarum*, sive in iisdem sive diversis Generibus junguntur, tunc additur Neutrum Plurale: ut,

Nox & præda hostem remorata sunt. Sal.

Divitiæ, decus & gloria in oculis sita sunt.

Rarissimè hoc fit *in rebus animatis*, quando, ut res possessa considerantur: ut,

Atq; hæc (Eunuchum & ancillam) qui misit, non sibi soli postulat, te vivere. Ter. Eun.

2. Poetæ interdum ex duobus Substantivis Conjunctione copulatis alterum mutant *in Ablativum cum Præpositione* CUM, manente Plurali Adjectivo vel Verbo: ut,

Fors eadem Ismarios Hebrum cū Strymone siccat.
i. e. siccat Hebrum & Strymonem Ismarios.

Remo cum fratre Quirinus jura dabant. Virg.
i. est. Quirinus & Remus frater dabant jura.

Vulgò

Vulgò Syllepsis generis, Personæ & Casus dicitur.

3. Sæpè etiam duo vel plura Substantiva, Verbo singulari contenta sunt, maximè ubi *de rebus inanimis* sermo est: ut.

Mens & Ratio & consilium in senibus est. Cic.

Scribam apertè, sicut mea natura & nostra amicitia postulat. Cic.

Dux nobis & autor opus est. Cic.

De Syntaxi Nominum Transitiva.

GENITIVUS CUM NOMINE.

V.

Wenn zwey Substantiva zusammen kommen/ da eines das ander nicht beschreibet/ was es sey/ so stehet das hinderste in Genitivo:

Substantivum cum Substantivo rei diversæ, Genitivo Casu jungitur: ut,

Initium sapientiæ timor Domini. Salomon.

Otium pulvinar Satanæ. Ambros.

Mille hominum. Par calceorum. Nihil novi.

Multum pecuniæ. Id negotij.

Eadem est ratio *Pronominum primitivorum*, quando *in Genitivo* absolutè pro Substantivis ponuntur: ut,

Frater hujus. Pater ejus. Mater illorum.

Cujus causâ hoc fecisti?

Wenn

VI.

Wenn nach einem Nomine, Pronomine **oder** Adverbio **folget das Wort unter/ so hats einen** Genitivum **nach sich.**

Quæ *Partitionem* significant, adsciscunt Genitivos Plurales, vel collectivi Nominis Singulares.

Partitionem significant, quæ exponi possunt per particulas *inter, e, ex* vel *de.*

Collectivum nomen est, quod in Singulari numero multitudinem significat: *ut, Gens, turba, manus, legio, concio, populus, civitas, oppidum, senatus, exercitus, Ecclesia &c.*

Exempla: ut,

Doctissimus omnium, id est, *inter omnes, vel ex omnibus.*

Multi horum. Plures horum. Plurimi horum.
Nemo hominum. Alter horum. Pars civium.
Quis vestrûm? Uterq; nostrûm. Neuter vestrûm.
Summi infimiq; civitatis.
Maximè omnium. Pulcherrimè omnium stetit.

Quid hîc notandum?

1. Pro Genitivo Partitionis sæpè etiam usurpatur expositio illius per Præpositionem *Inter, E, Ex* vel *De:* ut,

Herba inter paucas utilissima. Plin.
Acerrimus ex omnibus sensibus est sensus videndi. Cic.
Solus de superis qui tua regna vides. Ovid.
Pauci de nostris cadunt. Cæs.

2. Ab *Ego* & *Tu* in Partitionibus tantùm usurpantur Genitivi *nostrûm & vestrúm*, non autem *Nostri* aut *Vestri*: ut,

Nemo nostrûm. Singuli vestrûm.
Major vestrûm pars. Maximus natu vestrûm &c.

3. *Comparativo* utimur, cùm Partitio fit inter duo: *Superlativo*, cùm partitio fit inter plura: ut,

Manuum agilior est dextra.
Digitorum longissimus est medius.

4. Superlativus partitionis Genere plerumque convenit cum antecedente suo Substantivo: ut,

Indus, qui est omnium fluminum maximus. Cic.
Modus rerum omnium utilissimus. Plin.
Hordeum frugum omnium mollissimum est. Plin.

Interdum tamen etiam in Genere respōdet Genitivo partitionis: ut,

Laudatissima herbarum est moly. Plin.
Sic ego sum rerum non ultima, Sexte, tuarum. Ov.

5. Particulæ, quæ Superlativis intendendi causâ addi solent, sunt: *Multò, longè, quàm, quisque* & in relatione interdum: *Tantò, quantò, Tàm, quàm*: ut,

Conspectus vester multò jucundissimus. Cic.
Oratio longè optima. Cic.
Vehementer te rogo, ut cures, ut ex hac commen-
dati-

datione mihi Cuspius quàm maximas, quàmprimùm, quàm sæpissimè gratias agat. Cic.

Dum incautiùs subeunt, promptissimus quisq; cadit. Liv.

VII.

Adjectiva, quæ *Curam, Desiderium, Notitiam, Memoriam, Metum, Laudem* & his contraria, aut *quamcunq; animi affectionem* significant, Genitivos adsciscunt: ut,

1. Curæ vel incuriæ: *Diligentissimus officij.* Cic.
   Non incauta futuri. Hor.
   Securus amorum Germanæ. Virg.
   Incuriosus famæ, imperij.
2. Desiderii vel Fastidii: *Avidus laudis.*
   Cupidus veritatis. Studiosus omnium doctrinarum.
   Fastidiosus Latinarum literarum. Cic.
3. Notitiæ vel Ignorantiæ: *Nescius sum hujus rei.* Cic.
   Peritus juris, Imperitus juris. Cic.
   Inscius omnium rerum. Mens præsaga mali.
   Imprudens harum rerum ignarusq; omnium. Ter.
4. Memoriæ & Oblivionis: *Vive memor lethi.*
   Immemor antiqui vulneris arma capit. Ov.
5. Metus vel confidentiæ: *Timidus procellæ.*
   Mens interrita leti. Ovid. *Fidens animi.*
6. Laudis vel criminis: *Egregius animi.*

Inte-

Integer vitæ, scelerisq́; purus. Hor.
Reus cædis, adulterij, furti.
Insons culpæ. Liv. *Affinis suspicionis.*

7. Cujuscunque affectionis: *Læta laborum.*
Lassus maris & viarum. Hor.

Quid hic notandum?

1. Quædam Adjectiva *Criminis* aut *reatus* interdum etiam Dativum admittunt: quædam Ablativum, aut solum, aut cum Præpositione De vel A: ut,

Obnoxius timori, crimini.
Affinis facinori. Purus à scelere.
Reus de pecuniis repetundis. Reus de ambitu.

2. Quædam Adjectiva *Notitiæ* variè cõstruuntur, ut sunt: *Doctus, eruditus, rudis, conscius, certus, peritus, consultus.*

IIX.

Adjectiva *Verbalia* in AX & *Participia*, cùm in Nomina degenerant, Genitivos adsciscunt: ut,

Tempus edax rerum. Ovid. 15. Met.
Amans patriæ. Observans tui.
Patiens laboris. Fugitans litium. Ter.

IX.

Hæc Adjectiva: *Compos, impos, particeps,*
expers

expers, consors, exsors, fertilis, benignus, liberalis, largus, prodigus, parcus, Genitivum adsciscunt: ut,

Vix sum compos animi, ita ardeo iracundiâ. Ter.
Impos mentis. Svet. *Impos animi.* Plaut.
Expers rationis, consilij, ingenij.

X.

Adjectiva, quæ *Copiam* aut *Inopiam* significant, modò Genitivum, modò Ablativum recipiunt: ut,

Dives pecoris. Ditissimus agri Phœnîcum. Virg.
Dives agris, dives positis in fœnore nummis. Hor.
Stultorum plena sunt omnia. Cic.
Plenus fide. Cic. *Plenus annis & honoribus.* Plin.
Inops consilij. Inops verbis.
Vacuus cædis. Vacuus molestiis.

Nota. 1. Raró Genitivum, sed Ablativum frequenter habent: *Captus, cassus, locuples, nudus, onustus, orbus.*

2. Ablativum etiam cum Præpositione A vel Ab recipiunt: *Extorris, inops, liber, nudus, orbus, purus, securus, vacuus*: ut,

Inops à verbis, ab amicis. Cic.
Liber ab omni sumptu, molestiâ. Cic.
Animus vacuus à cura. Cic.
Locus ab omni turbâ vacuus. Cic.

Nomen

X.

Nomen Substantivum adsciscit Genitivum vel Ablativum alicujus Adjectivi & Substantivi nominis, cùm *formam* aut *qualitatem alicujus* describimus: *ut*,

Puer bonæ indolis, & bonâ indole.
Ingenui vultus puer, ingenuiq; pudoris. Juven.
Homo antiquâ virtute & fide. Ter.
Literæ accuratâ diligentiâ. Cic.

DATIVUS CUM NOMINE.

Regula generalis.

Auff die Frage Wem/ folget ein Dativus.

Ad quæstionem CUI respondetur per Dativum.

XI.

Dativos adsciscunt Adjectiva, *quæ commodum, facilitatem, amicitiam, aptitudinem, æqualitatem, propinquitatem*, aut his contraria significant: ut,

Est mihi honestum, utile, gratum, jucundum.
Est tibi turpe, noxium, inutile, molestum.
Hoc est mihi facile, difficile, grave, obscurum.
Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Sen.

Consiliis nulla res tàm inimica, quàm celeritas. Liv.
Malum malo aptissimum. Liv.
Par vel impar oneri.
Proximus sum egomet mihi. Ter.
Tibi me propior nemo est. Cic.

Quid hîc notandum?

1. Amicitiæ nomina rarò etiam Genitivum admittunt: ut,
Plato veritatis amicissimus. Cic.
Regina tui fidissima. 12. Æn. Sed:
Studiosus *perpetuò Genitivum habet: ut,*
Pacis studiosus. Homo mei studiosissimus.

2. Æqualis, *cùm ad ætatem & tempus refertur, ferè Genitivum habet: ut, Hic est tui fratris æqualis.*

3. *Propior & Proximus* etiam Accusativum habent, aut Ablativum cum Præpositione A vel Ab: ut,
Propior montem. Salust.
Quis pulsat? Qui te proximus est Plaut.
Proximus Pompejum sedebam. Cic.
Ab igne propior stetit.

4. Pleraq; Adjectiva *commodi & aptitudinis* mutant Dativum etiam in Accusativum cum Præpositione Ad: ut,
Pietas ad omnia utilis est.
Calcei habiles & apti ad pedem. Cic.

Hæc

XII.

Hæc Adjectiva: *Similis, dissimilis, par, dispar, germanus, superstes, communis, proprius & obnoxius*, Dativum vel Genitivum asciscunt: ut,

Totos dies precabantur, ut sibi sui liberi superstites essent. Cic.

Omni ætati mors est communis. Cic.

Atq; hæc ita justitiæ propria sunt, ut sint virtutum reliquarum communia Cic.

Ego vitam deorum propterea sempiternam esse arbitror, quod voluptates eorum propriæ sunt. Ter. And.

Dicimus etiam: *Hoc est mihi commune cum cæteris.* Cic.

Nota. *Similis & Dissimilis* quando ad mores seu ingenium alicujus personæ respiciunt, Genitivum adsciscunt: Si verò ad formam personæ, Dativum habent: ut,

Domini similis es. Ter. Eun. I. 2. id est, *ingenium ac mores tui domini refers.*

Filius patri similis, qui refert formam patris.

PAR, apud Poetas, etiam Genitivo jungitur: ut,

Quem metuis, par hujus erat. Lucan.

Stanislaus Kozmienski

XIII.

Interdum & *Substantiva quadam*, præsertim *affectionis*, *commodi* aut *incommodi*, adſciſcunt Dativum: ut,

Erit ille mihi ſemper Deus. Virg.
Lupus eſt homo homini: Plaut.
Naturâ tu illi pater es, conſiliis ego. Ter.
Tu decus omne tuis. Virg.
His de cauſis ego huic cauſæ patronus extiti. Cic.

ACCUSATIVUS CUM NOMINE.

XIV.

Auff die Frage wie groß / folget ein Accuſativus, Genitivus, **oder** Ablativus.

Quæ certum *magnitudinis modum* aut *ſpatium* ſignificant, ſæpius Accuſativo Caſu, rariùs Genitivo vel Ablativo ponuntur cum Adjectivis: *longus*, *latus*, *altus*, *craſſus*: *ut*,

Menſis quadraginta dies longus. Cic.
Umbra quatuor pedes longa. Plin.
Caulis palmum altus. Plin.
Storeæ quatuor pedes latæ. Cæſ. 2 de bell.
Arbor craſſa pedes duos, alta pedes novem. Cato.
Trabs pedum viginti duorum longa. Cato.
Locum occupent decem pedum longum, & quinq; latum. Colum.

Lon-

Longum sesquipede, latum pede. Plin.
Fossam sex cubitis altam cùm duxisset. Liv.

Nota. Excessus *mensuræ* aut *temporis* tantùm in Ablativo Casu ponitur: ut,
Longior sum te digito, Non, *digitum.*
Hic est major me annis tribus, Non, *tres.*

ACCUSATIVUS CUM NOMINE.

XV.

Auff die Frage/ warumb/ wovon/ womit/ woran/ wie/ folget ein Ablativus.

Ablativus *Causæ, Instrumenti, Modi, Partis,* & similis circumstantiæ vel Adjuncti, plerisque Adjectivis & Verbis subjicitur.

Exempla:

Causæ Efficientis: *ut, Lassus curâ, Fessus cursu.*
Deteriores omnes sumus licentiâ. Ter.
Defessus currendo. Reus stipulando.

Causæ Materialis: *Pedum formosum ære.*
Duplicem gemmis auroq; coronam. 3. Æn.

Instrumenti: *Hic melior remis.* Virg.
Ense validus. Promptus manu.

Modi: *ut, Consilia audacia primâ specie læta sunt: tractatu dura: eventu tristia.* Liv.
Grandis natu. Major natu. Minor natu.

Partis: *Æger oculis, pedibus. Quietus animo.*
Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus.
Circumstantiæ: *Genere Lesbius. Natione Syrus.*
Insignis genere. Proximus genere.

Adjuncti: *Ennius ingenio maximus, arte rudis.* Ovid.
Similis est ei voce & colore.

Nota.

1. Interdum Ablativus *Causæ & similis circumstantiæ* etiam Præpositionem admittit: ut,
Demetrius ex doctrina nobilis & clarus. Cic.
Lætus de amica. Ter. *Fessus de via.* Cic.
Paratus ab exercitu. Firmus ab equitatu.

2. Substantiva quoque nonnulla Ablativum *Causæ* vel *Modi* asciscunt: ut,
Naturâ tu illi pater es, consiliis ego. Ter.
Cicero pietate filius, beneficio parens.
Eunuchus nomine Photinus. Cæs.

XVI.

Ein Comparativus hat ein Ablativum nach sich/ wenn darauff folget das Wort Als oder Denn.

Comparativi asciscunt Ablativum rei superatæ, qui exponitur per particulas *Quàm, Ac, Atq.: ut,*

Vilius

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum. Hor. id est, quàm aurum, quàm virtutes.

Nihil sapientiâ pulchrius, nihil virtute amabilius. Cic.

Tranquillitate conscientiæ nihil beatius excogitari potest. Augustin. de Civ.

Quid hîc notandum?

1. Comparativo interdum etiam alter Ablativus adjungitur, significâs *mensuram excessûs*, aut *causam*, aut *aliam circumstantiam: ut,*

Hic major est me dimidio.

Minor est me viginti annis, id est, ætate viginti annorum.

Hic est illo excellentior infinitis partibus.

Nihilo segnior illo.

At pedibus longè melior Lycus Helenore. 9. Æn.

2. Comparativis intendendi gratiâ adduntur hæ particulæ: *Eò, quò, hoc, tanto, quanto, aliquanto, paulò, nimiò, multò, longè,* item Adverbialiter sumpta hæc nomina: *Tantùm, quantùm, aliquantùm: ut,*

Quò quis indoctior, eò est impudentior. Fab.

Quantò superiores sumus, tantò nos submissiùs geramus. Cic.

Ejus frater aliquantùm est ad rem avidior. Ter.

XVII.

Dignus, Indignus, Fretus, Præditus, Affectus, Contentus, Venalis, Carus & Vilis, Ablativum adſciſcunt: ut,

Dignum laude virum Muſa vetat mori. Hor.
Indignus honore. Indignus reſponſione.
Fretus ingenio, amicitiâ, conſcientiâ. Cic.
Præditus virtute, ingenio, arte, gloriâ. Cic.
Affectus optimâ valetudine, ſenectute. Cic.
Contentum ſuis rebus eſſe, maximè ſunt certiſſimæq; divitiæ. Cic.
Quod non opus eſt, aſſe carum eſt. Seneca.
Vilis viginti minis. Plaut.

XVIII.

Adjectiva, quæ *ordinem* aut *diverſitatem* ſignificant, Ablativum adſciſcunt, ſed cum Præpoſitione A vel Ab: ut,

Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo. Virg.
Sic: *Primus ab illo. Secundus à Rege.*
Proximus à Jove. Alius ab hoc, i.e. diverſus.

Alienus habet Genitivum, Dativum aut Ablativum, ſive ſolum, ſive cum Præpoſitione A vel Ab.: ut,

Quis alienum putet ejus eſſe dignitatis, quam mihi quiſque tribuit, quod optimum ſit, exquirere? Cic.
Id dicit, quod illi cauſæ maximè eſt alienum. Cic.
Facis nihil alienum neceſſitudine noſtrâ. Cic.

Opus,

XIX.

Opus von nöthen/ adſciſcit Nominativum vel Ablativum *rei acquirendæ* cum Dativo *perſonæ vel rei*, cui aliquid attribuitur: ut,

Dux nobis & autor opus eſt. Cic.

Simul quæ curando vulneri opus ſunt, parat. Liv.

Autoritate tua nobis opus eſt & conſilio. Cic.

Quid mihi ſervo opus eſt tàm nequam? Plaut.

Interdum etiam omittitur Dativus objecti: ut,

Ubi rerũ teſtimonia adſunt, non opus eſt verbis, Cic.

Maturato opus eſt. Facto opus eſt.

Nonnunquam & pro Dativo Accuſativus ponitur cum Præpoſitione Ad: ut,

Nihil iſtac opus eſt arte ad hanc rem, quam paro. Ter.

Sæpè etiam vox *Opus* ſine Caſu ponitur: ut,

Si opus erit, faciam te certiorem.

Aliquando etiam voci OPUS additur Infinitivus, aut Supinum in U: ut,

Quid opus eſt Dionyſio tàm valdè affirmare? Cic.

Per opus eſt nunc cum ipſa loqui. Ter.

Ita dictu opus eſt. Ter. *Scitu opus eſt.* Cic.

Comici & Poetæ etiam interdum pro OPUS, voce USUS utuntur, cum Dativo perſonæ & Ablativo rei acquirendæ: ut,

Viginti jam uſus eſt filio argenti minis. Plaut.

Mihi ſic eſt uſus: Tibi ut opus eſt facto, face. Ter.

Petrus et Paulus Q5
niedrielski

De

De Syntaxi Pronominum.

XX.

Relativum *Qui, Quæ, Quod*, quando causam significat, Conjunctivum petit: ut,
Satin' sanus es, qui me id rogites? i. e. quòd.
Dignus est, qui ametur, id est, ut ametur.

XXI.

Reciproco Primitivo *Sui, Sibi, Se*, utimur, cùm vel tertia persona immediatè transit in seipsam: ut, *Cæsar recordatur sui, indulget sibi, amat se, loquitur secum: non est compos sui.*
Video hominem cædentem se flagris.

Vel cùm actio posterioris Verbi transit in tertiam personam Verbi prioris: ut,

Cæsar rogat, ut veniam ad se in nemus.
Ad se *scil.* rogantem Cæsarem.
Cicero rogat, ut ignoscas sibi.
Sibi *scil.* roganti Ciceroni.
Bonus pater intelligit omnes æquè filios ad se pertinere.
Ad se *scil.* patrem intelligentem.

XXII.

Reciproco Suus utimur, cùm vel tertia per-

persona immediatè transit in rem à se possessam: ut,

Cicero recordatur Tironis liberti sui.
Cicero indulget liberis suis.
Cicero defendit suos clientes.
Cicero scripsit hanc epistolam sua manu.

2. Vel cùm Actio posterioris Verbi retransit in personam prioris, tanquam in possidentem: ut,

Timet Pompejus, ne à suis veteranis deseratur.
Rogat te Cæsar, ut suas partes sequaris.

3. Utimur etiam Reciproco Suus, cùm res possessa in possessorem agit: ut,

Ulciscentur illum mores sui. Cic.
Hunc sui cives è civitate ejecerunt. Cic. pro Sest.
Trahit sua quemq; voluptas. Virg. in Ecl.

XXIII.

Genitivi Pronominum Primitivorum *Mei, Tui, Sui, Nostri, Vestri,* subjiciuntur Nominibus affectuum, quando *Passivè* significant: ut,

Victus amore tui, id est, *quo tu amaris.*
Me impulit tui charitas. Cic. id est, *quá tu diligeris.*
Nihil contra me fecit odio mei. Cic.
Exciderit tantum ne tibi cura mei. Ovid.
In medio dolore ac desiderio tui. Cic.

De

De Syntaxi VERBORUM cum Interrogativis in genere.

XXIV.

Interrogativa, *quando interrogant,* Indicativum, vel etiam Potentialem adſciſcunt: ut,
Quid agis? Quotus es? Ut vales?
Quotusquiſque iſtud feciſſet? Quid agam?
Cur ego id curem? Quid facerem?

XXV.

Interrogativa, *quando non interrogant,* Conjunctivum adſciſcunt: ut,
Vide quid agas. Dic cur properes.
Novi te, qualis & quantus ſis.
Admodum incertò ſcio, quotas ædes dixerit. Plaut.
Scribe, ubi nunc vivas, ut valeas, & quando huc venturus ſis.
Scribe, an acceperis meas literas.

Sed ſi *Relatè* ſignificant, Indicativum habent: ut,
Ubi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum.
Surſum corda habeamus, ubi Chriſtus eſt.
Quot cœlum ſtellas, tot habet tua Roma puellas. Ovid.

De Syntaxi Verborum Intranſitiva.

Nomi-

XXVI.

Nominativus præcedit Verbum Personale finitum simili Numero & Personâ: ut,

Labor vincit omnia. Quæ nocent, docent.
Ferrum tuetur Principem, melius Fides.
Nil prodest, quod non lædere possit idem. Ovid.

Sed

Utimur Verbis primæ & secundæ personæ, omissis ferè Pronominibus: *Ego, Tu, Nos, Vos*: ut,

Dum spiro, spero.
Sim, bone Christe, tuus; sis, bone Christe, meus.
Tum deniq. homines nostra intelligimus bona, cùm, quæ in potestate habuimus, ea amisimus.

Nisi cùm *Discretionem* aut *Emphasin* aliquam significamus: ut, *Tu ais, ego nego.*
Vos isthæc intrò auferte. Ter.

Nota.

1. Nonnunquam *Infinitivus* aut *tota oratio* sive finita, sive infinita, pro Nominativo Græcâ consuetudine usurpatur: ut,

Errare humanum est.
Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter.
Cavere peccata est cavere occasiones peccandi.
Didicisse fideliter artes emollit mores. Ovid.
Quod tyranni vivunt, malum est.

2. Per-

2. Pertinent huc etiam voces *Materialiter* acceptæ: ut,

Amo *est Verbum.* Heri *est Adverbium.*

3. Verba *Exempta nobis actionis* in tertia persona plerumque absolutè ponuntur sine Nominativo; *qui tamen vel animo subintelligendus est, vel in ipso Verbo continetur: ut,* *Tonat, pluit, ningit, fulgurat, diescit, vesperascit.*
Pro, *Cælum vel DEUS pluit, aqua pluit, dies fit, Vesper oritur, &c.*

4. Ellipsis usitata est in his verbis: *Ajunt, dicunt, ferunt, perhibent, prædicant:* Pro, *Homines ajunt, &c.*

XXVII.

Sum, Forem, Fio, Evado, Existo, Maneo, Nascor & similia, habent ante & post se Nominativum: ut,

Vita quid est? labor est, & nil nisi vana cupido.
Omnia tunc bona sunt, clausula quando bona est,
Utinam hæc vana forent, id est, *essent.*
Leve fit, quod bene fertur, onus.
Tu evades aliquando vir doctus.
Ego huic causæ patronus extiti. Cic.
Terra manet immobilis. Cic.
Christus homo natus est.

Verba

XXVIII.

Verba Passiva *Nuncupandi, Existimandi &* *Cognoscendi* utrinque Nominativum admittunt: ut,

Cicero appellatus est pater patriæ.
Ego vocor Johannes. Tu creaberis Doctor.
Carolus designatus est Imperator.
Tu rectè vivis, si curas esse quod audis. Hor.
Themistocles, cùm in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior. Cic. 1. Tusc. quæst.
Hoc mihi non apparet verisimile.
Semper mihi cognitus es gratus.
Tu sæpè falsus repertus es.
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.

XXIX.

Verbum Personale finitum sequitur aliquando Nominativus, qui statum aut gestum aliquem rei significat: ut,

Stat erectus. Sedet tacitus.
Jacet supinus. Incedit sordidatus.
It cubitum incœnatus. Plaut. *Dormit securus.*
Charus omnibus expectatusq; venies. Cic.

Sic etiam, ubi Nominativus pro Adverbio, Græcorum more, usurpatur: ut,

Nec minùs Æneas se matutinus agebat. 8. Æn. id est, manè.

Voca-

XXX.

Vocativi absolutè ponuntur in oratione, *ornatûs* vel *affectûs* causâ, nec regunt Casus: ut,

Petre, abeamus hinc.
Petre, dormis? expergiscere.

De Syntaxi Verborum Transitiva.

GENITIVUS CUM VERBO.

XXXI.

Genitivum postulant, *Sum, Forem, Fio*, quando possessionem aut proprietatem significant: ut,

Cujus est hic liber? Est patris mei.
Alterius non sit, qui suus esse potest.

Sed *Possessiva derivata* in eodem Casu cum Substantivis ponuntur: ut,

Hic ensis est Evandrius.
Hic liber est meus, tuus, noster, vester.
Dicit, hunc librum esse suum.
Cuja est hæc ancilla? Cujum est hoc pecus?

Quid hîc notandum?

Verbum EST adsciscit etiam Genitivum, quando *ad aliquid pertinere* significat: ut,

Cujus

Cujusvis hominis est errare: nullius nisi insipientis perseverare in errore. Cic.
Adolescentis est majores natu vereri. Cic.
Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere. Svet.

Sed Possessiva; *Meum, Tuum, Suum, Nostrum, Vestrum* in Neutro genere cum Verbo EST in hac significatione junguntur; ut,
Mentiri non est meum.
Tuum est, si quid præter spem evenit, mihi ignoscere. Ter.

XXXII.

SUM etiam adsciscit Genitivum vel Ablativum *nominis Adjectivi & Substantivi*, cùm *formam aut qualitatem alicujus* describimus: ut,
Antonius vir maximi animi, utinam etiam sapientis consilij fuisset. Cic. ad Octav.
Cicero erat tenuissimæ valetudinis, &
Cicero erat tenuissimâ valetudine.
Sed hîc USUS consulendus est.

Nam quædam in Genitivo tantùm dicuntur: ut,
Esse nullius consilij, nullius pretij, jucundi saporis, odoris, &c.

In quibusdam Ablativus usitatior est: ut,
Sum bono animo.
Sum animo virili præsentiáq;, &c.

R Verba

XXXIII.

Verba *Memoriæ* recipiunt Genitivum vel Accusativum, vel Ablativum cum Præpositione DE: ut,

Recordor } *hujus rei, hanc rem, & de hac re.*
Memini }

Admoneo }
Commoneo } *te hujus rei, hãc rem, & de hac re.*
Commonefacio }

Illud me præclarè admones. Cic.

Reminiscor & Obliviscor habent Genitivum vel Accusativum tantùm: ut,

Reminiscor } *hujus rei, & hanc rem.*
Obliviscor }

Singulare est: *Venit mihi in mentem ea res, & ejus rei, & de ea re.*

Et cum Infinitivo: *Venit mihi in mentem vereri.* Cic.

XXXIV.

Recipiunt & Genitivos vel Ablativos promiscuè, que *curam* aut *perturbationem* aliquam *animi* significant: ut,

Discrucior animi, & discrucior animo.
Vide, ne illum animi excrucies. Plaut.
Animi se angebat. Ter. *Angor animo.* Cic.
Animi pendeo. Cic. *Pendemus animis.* Cic.

Sed

Sed *Misereor*, *Misereſco* & *Satago* Genitivum tantùm admittunt; ut,

Nil noſtri miſerere, mori me deniq; cogis. Virg.

Neminis miſereri certum eſt, quando nemo mei miſeretur. Plaut. Capt.

Arcadij quæſo miſereſcite Regis. 8. Æn.

Etſi is rerum ſuarum ſatagit. Ter. Heaut. 2. 1.

XXXV.

Æſtimandi Verbis adduntur hi Genitivi: *Magni, maximi, pluris, plurimi, parvi, minoris, minimi, tanti, tantidem, quanti, quanticunque*: *ut*,

Magni æſtimabat pecuniam. Cic. de fin.

Quanti is à civibus ſuis fieret, quanti autoritas ejus haberetur, ignorabas? Cic.

Habetur hic pluris, quàm alius. Cic.

Meritò te ſemper maximi feci, Chreme. Ter.

Putare aliquid minimi. Cic.

Æſtimandi Verba ſunt: *Æſtimo, Duco, Facio, Habeo, Pendo, Puto, Sum*, pro, *Æſtimor*: *ut*,

Magni erunt mihi tuæ literæ. Cic. 15. fam.

Æſtimo recipit etiam hos Ablativos: *Nihilo, magno, permagno, parvo,* & *magno, pretio*: *ut*,

Non nihilo bonam valetudinem æſtimo. Cic.

Data magno æſtimas, accepta parvo. Seneca.

Turpia permagno æſtimas. Cic.

Nisi fortè parvo te æstimas. Seneca.
Magno ubiq; pretio virtus æstimatur. Val. Max.

Cum Verbo *Facio* junguntur etiam hi Genitivi *Nauci, flocci, pili, assis, teruncij, nibili* & *Hujus* Demonstrativè: ut,

Remp. flocci non facit. Cic.
Eum nibili facit. Cic.
Hujus non faciam. Ter.

Dicimus etiam *Flocci pendo, nibili pendo.*
Non assis, non flocci te æstimo.
Omnes unius æstimemus assis. Catull.

XXXVI.

Accusandi Verba, damnandi & absolvendi adsciscunt Genitivum pœnæ aut criminis: ut,

Qui alterum incusat probri, ipsum se intueri oportet. Plaut.
An non intelligis, quos homines summi sceleris arguas? Cic.
Invenimus Egnatij uxorem, cùm vinum bibisset è dolio, fuste interfectam à marito, eumq; cædis à Romulo absolutum. Plin.

Hoc tamen ipsum Nomen CRIMEN, etiam Ablativo sine Præpositione effertur: ut,

Si iniquus es in me judex, condemnabo eodem ego te crimine. Cic.

DATI-

DATIVUS CUM VERBO.

Regula Generalis Germanicæ linguæ.

Auff die Frage Wem/folget ein Dativus.

Ad quæſtionem CUI reſpondetur per Dativum.

Excipe: *Juvo, Adjuvo, Adjuto, Celo, Sequor, Imitor, Decet ac Dedecet*, quæ habent Accuſativum.

Item *Intereſt & Refert* quæ habent Genitivum.

XXXVII.

Quodlibet Verbum admittit Dativum perſonæ aut rei, cui qualicunque modo aliquid acquiritur vel adimitur: ut,

Mihi bene eſt. Tribuo illi eruditionem. Cic.
Dono tibi librum. Do tibi pecuniam mutuam. Cic.
Adimo tibi metum. Ter.

Sic & Abſoluta pleraque: ut,

Benedico tibi. Maledico illi. Obſequor tibi.
Aſſentior tibi. Glycyrrhiza medetur tuſſi.

XXXVIII.

Verbo EST in Habendi ſignificatione cum Dativo utimur: ut,

Eſt mihi namq; domi pater, eſt injuſta noverca.
Virg. 2. Ecl. i.e. Habeo patrem, habeo novercam.

An nescis longas Regibus esse manus? Ovid.
Tecum habita, & noris, quàm sit tibi curta supellex. Pers.

XXXIX.

Quibusdam Verbis gemini Dativi adduntur, quorum alter personam, alter commodum aut incommodum significat: ut,
Studia sunt mihi curæ & cordi.
Do tibi hoc laudi, vitio, culpæ, pignori, fænori.
Vertit id mihi vitio.

XL.

Multa Verba cum Præpositionibus: *Ad, Ante, post, inter, ob, in, sub, præ, de, con & re* composita Dativum adsciscunt: ut,
Hoc arridet mihi. Cic.
Adhærere justitiæ & honestati. Cic.
Anteponere, postponere aliquid alicui.

ACCUSATIVUS CUM VERBO.

XLI.

Activa Verba omnia Accusativos adsciscunt: ut,
Nusquam virtutem deserit invidia.
In fine teste time. *Nosce teipsum.*

Sic & Deponentia, quæ *Activè* significant: ut, *Amplector virtutem. Consolor te.*

Sic *Juvo, Adjuvo. Adjuto, Celo, Imitor, Sequor cum compositis* Accusativum habent, præter *Obsequor*, quod Dativum recipit.

XLII.

Neutra quædam, & Deponentia Neutralia imitatione Græcorum adsciscunt Accusativum vel suæ originis, vel cognatæ significationis: ut,

Vivo vitam. Cic. *Pugno pugnam.* Plaut. *Gaudeo gaudium.*

XLIII.

Verba aliquando cum Accusativo vel Ablativo construuntur *vi Præpositionis*, cum qua sunt composita: ut,

Adeo patrem. Villam prætereo sciens. Ter. *Ejecit eum sedibus suis. Pedem portâ non extulit.*

Aliquando geminatur Præpositio: ut,

Accedo ad pedissequas. Ter.

Incidit in febrim. Cic.

Milites ex oppido jussit exire. Cæs.

XLIV.

Quæ *Mensuram* aut *spatium* significant, frequenter Accusativo, rariùs Ablativo cùm Verbis junguntur: ad quæstionem Quàm longè Wie weit? ut,

Cum abessem ab Amano iter unius diei. Cic.
Herciniæ silvæ latitudo novem dierum iter expedito patet. Cæs.
Cum tridui viam processisset. Cæs.
Nec longis inter se passibus absunt. ii. Æn.
Bidui spatio abest ab eo.

XLV.

Certa quædam Activa sunt, quæ duos Accusativos adsciscunt, unum personæ, alterũ rei.

Sunt autem ferè Verba *docendi, monendi, rogandi, postulandi, nuncupandi, existimandi, cognoscendi, præstandi, faciendi, expetendi, accipiendi.*

Doceo te literas. Celo te culpam.
Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes. Virg.

Nota. *Doceo, Edoceo, Moneo, Admoneo, Rogo, Exoro, Posco,* retinẽt Accusativum rei etiam in Passivo: ut,

Doceo pueros Grammaticam, &
Pueri docentur à me Grammaticam.
Pauca docendus eris. Ovid.

ABLATIVUS CUM VERBO.

XLVI.

Ablativus *Causæ, Instrumenti, Modi, Partis & similis circumstantiæ* vel *adjuncti* plerisque Adjectivis & Verbis subjicitur: ut,

Ode-

Oderunt peccare boni, virtutis amore:
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ. Hor.
Naturam expellas furcâ, tamen usq; recurret.
Multi magni morbi curantur abstinentiâ & quiete. Celsus.
Laborare oculis, manibus, pedibus.
Homo constat animo & corpore.
Afficio te honore, molestiâ, damno.
Prosequor te amore, honore, benevolentiâ.

XLVII.

Verba, quæ *copiam* aut *inopiam significant*, Ablativum adsciscunt: ut,
Amore abundas, Antipho. Ter.
Nulla dies mœrore caret. Seneca.

Nota. 1. *Egeo & Indigeo* etiam Genitivum admittunt: ut,
Egeo consilij. Cic.
Quasi tu hujus indigeas patris. Ter.

XLVIII.

Verba *implendi, onerandi, liberandi*, & his contraria, adsciscunt Ablativum rei.
Implevitq; mero pateram. 1. Æn.
Noli committere, ut excusatione potiùs expleas officium scribendi, quàm assiduitate literarũ. Cic.
Omnibus eum contumeliis onerasti. Cic. 2. Phil.
Magno me metu liberabis. Cic. 1. Orat.

Nota. 1. *Compleo, Impleo, Saturo, Obsaturo* interdum etiam Genitivum admittunt: ut,

Implentur veteris Bacchi pinguisq; ferinæ.
Virg.
Postquam dextra fuit cædis saturata. Virg.
Ne tu propediem istius obsaturabere. Ter.
Heaut.

XLIX.

Dignor, Dedignor, Munero, Remunero, & *Sto* (pro assentior, obtempero vel persisto) Ablativum rei adsciscunt: ut,
Haud equidem tali me dignor honore. 1. Æn.
Munero vel muneror te hac re. Stare promissis.

L.

Verba *Metiendi, Definiendi & Permutandi* Ablativum adsciscunt: ut,
Metiri se suo modulo ac pede verum est. Hor.
id est, decet.
Rem voluntate metieris.
Altera sententia est, quæ definit amicitiam paribus officiis ac voluntatibus. Cic. de Amic.

LI.

Verba *Vestiendi* Ablativo rei seu materiæ gaudent: ut,
Oculos natura membranis tenuissimis vestivit & sepsit. Cic.
Pallâ inauratâ indutus.

Sed

Sed

Induo & *Exuo* vel habent Dativum cum Accusativo rei: vel Accusativum cum Ablativo rei: ut,

Induo vel Exuo tibi vestem. Et:
Induo vel Exuo te veste.

L I I.

Quælibet Verba *Mercandi*, *Contrahendi* & *Taxandi* adsciscunt Ablativum *pretij*, sine Præpositione: ut,

Ego spem pretio non emo. Ter. Adel. 2. 2.
Vendidit hic auro patriam. Virg. 6. Æn.
Fixit leges pretio atq; refixit. Virg. 6. Æn.
Hæc æstimare pecunia non queo. Cic. Verr. l. 7.

Nota.

1. *Mercandi*, *Contrahendi* & *Taxandi* Verba recipiunt etiam hos Ablativos:

Magno, permagno, parvo, plurimo, quamplurimo, paululo, minimo, nimio, vili, sive cum, sive sine Substantivo *pretio*:

Item Ablativos: *Tanto, quanto, majore, minore*, cum Substantivo *pretio*: *ut*,

Emamus vel magno. Cic.
Hoc solet evenire iis, qui magno red. merunt. Cic.

Magno

Magno mercentur Atridæ. Virg.
Triticum magno venit. Cic.

2. Verbis *Mercandi, Contrahendi & Taxandi* adduntur etiam hi Genitivi: *Tanti, quanti, pluris, minoris, tantidem, quanticunque, quantiquanti,* Substantivè sumpti: ut,

Quanti eam emit? Vili. Plaut.
Emit homo cupidus tanti, quanti voluit. Cic 3. Of.
Non vendo pluris, quàm alij, fortaßè etiam minoris. Cic. 3. Off.

LIII.

Quæ *probibendi* significationem habent, item *auferendi, abstinendi, accipiendi* aut *distandi*, Ablativum adſciſcunt, cum Præpositione A vel Ab: ut,

Deus custodiat nos ab omni malo.
Abstulit à me pecuniam. Cic.
Abstinet se ab injuria. Abhorret à studiis.
Feriari à studiis. A patre accepi.
Abs quivis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas. Ter.

Nota.

1. *Abdico & Superſedeo* habent Ablativum sine Præpositione: ut,

Abdico me Magistratu, id est, *depono Magistratum.*
Superſedeo hoc labore itineris, id est, *abstineo.*

2. Cum

2. Cum & sine Præpositione construuntur: *Arceo, Probibeo, Intercludo, Moveo, Pello, Cedo, Exulo, Abstineo:* ut,

Te dominus illis sedibus arcebit. Cic.

L I V.

Utor, Fruor, Fungor, Potior & Vescor, Nitor, Victito & Vivo, Ablativos adsciscunt: ut,

Utor te Præceptore. Fruere præsentibus.
Perfrui voluptatibus. Fungor officio meo.
Potitus sum imperio. Vescor caseo, lacte.
Virtute decet non sanguine niti. Claud.
Victito, Vivo lacte, caseo, carne. Cæs.

L V.

Verba *Passiva* recipiunt Ablativum cum Præpositione A vel Ab, qui fit ex Nominativo Verbi Activi: ut,

Laudatur ab his, culpatur ab illis. Hor.
Vapulat à Magistro.

Ablativus Verbi Passivi sæpè etiam in Dativum mutatur: ut,

Ego audita tibi putâram. Cic.
Omnibus videbatur probari oratio mea.

NOMINA TEMPORIS
CUM VERBIS.

L V I.

Ad quæstionem QUANDO respondetur per nomen Temporis in Ablativo Casu: ut,

Quando huc venisti? *Hoc anno, superiori mense, hac septimana, his proximis diebus.*
Adultâ ætate profectus est. Liv.
Imperante Augusto Christus natus est.
Quo tempore? abhinc annis quindecim. Cic.

LVII.

Ad quæstionem QUAMDIU respondetur per nomen Temporis in Accusativo vel Ablativo Casu: *Sed Accusativus frequentior est: ut,*
Quamdiu *hic fuisti? Biduum vel biduo.*
Septimum jam diem hic teneor. Cic.

NOMINA LOCORUM
CUM VERBIS.

LVIII.

Nominibus *Regionum & Insularum* Præpositiones, sicut Appellativis adduntur: ut,

Fui in Italia, in Cypro, in curia.
Eo in Italiam, in Cyprum, in curiam.
Venio ex Italia, è Cypro, è curia.

No-

NOMINA URBIUM.

LIX.

Urbium Nomina ferè sine Præpositione Verbis junguntur: & quidem

In Loco significant primæ & secundæ Declinationis Singularia, Genitivo Casu: ut,

Ubi es? Sum Romæ, Lipsiæ, Patavij, Argentorati.
Tarenti degit Archita, qui ligneam columbam volatilem fecit.

Pluralia tantum, & nomina tertiæ Declinationis, IN LOCO esse significant, Ablativo Casu: ut,

Ubi hoc factum est? Venetiis, Athenis, Hierosolymis, Gadibus, Carthagine, Tibure, Sicyone.
Delphis Apollo oracula reddebat.

LX.

AD LOCUM significat Nomen Urbis in Accusativo Casu: ut,

Quò *tendis? Proficiscor Lipsiam, Venetias.*
Noctuas Athenas portat. Eo Argentoratum.

LXI.

DE LOCO & PER LOCUM significant Nomina Urbium in Ablativo Casu: ut,

Unde *venis? Roma, Tarento, Carthagine, Venetiis.*
Quâ *ibis? Româ, Tarento, Carthagine, Venetiis.*

LXII.

Urbium nomina imitantur & hæc Appellativa: *Domus, Rus, Humus, Belli & Militiæ; ut,*
Sum domi, Eo domum, Venio domo.
Sum ruri vel rure. Eo rus. Redeo rure.
Jacet humi. Procumbit humi. Tollitur humo.
Sum belli, & Sum militiæ, tantùm dicuntur.

DE INFINITIVIS.

LXIII.

Quando duo Verba junguntur absq; Conjunctione, alterum in Infinitivo ponitur: ut,
Maximi debemus æstimare conscientiam. Cic.
Improbus est homo, qui beneficium scit sumere, & reddere nescit. Plaut.

LXIV.

Post Verba *Sensuum, Affectuum, dicendi & significandi* plerumque sequitur Accusativus cum Infinitivo, *qui resolvi potest in Nominativum & Conjunctivum, adjectâ particulâ Quòd: ut,*
Sentio te esse tristem, id est, *Sentio quòd sis tristis.*
Audio te factum esse diligentiorem, id est, *Audio quòd factus sis diligentior.*

Cau-

Gaudeo vos ſalvos huc rediiſſe, i. e. *Gaudeo quòd vos ſalvi huc redieritis.*

Spero meas literas à te lectum iri, i. e. *Spero fore, vel futurum eſſe, ut meæ literæ à te legantur.*

Ajo te, Æacida, Romanos vincere poſſe. Ennius. i. e. *Ajo, quòd tu poſſis vincere Romanos.* Vel: *Ajo, quòd Romani poſſint vincere te.*

Verba ſenſuū ſunt: *Sentio, Animadverto, Intelligo, perſpicio, cognoſco, deprehendo, exiſtimo, judico, puto, credo, cenſeo, opinor. ſcio, ſuſpicor, conjicio, colligo, conjecturā facio, experior, comperior, cogito: Memini, reminiſcor, obliviſcor: Audio, video, olfacio, dubito, certū eſt, cōſtitui, decrevi &c.*

Verba affectuū ſunt: *Gaudeo, Lætor, Spero, cōfido, metuo, timeo, vereor, doleo, ægrè fero, moleſtè fero, Miror, mirū eſt, Pœnitet, piget, pudet, &c.*

Verba dicendi & ſignificandi ſunt: *Ajo, dicô, perhibeo, affirmo, nego, teſtor, teſtificor, oſtendo, demonſtro, probo, ſignifico, indico, declaro, innuo, certiorem facio, ſcribo, ſimulo, diſſimulo, &c.*

Nota. Poſt Verba *Senſuum*, quando voluntatem & ſtudium ſignificant, ſequitur UT cum Conjunctivo: ut,

Videbo, ut hæc efficere poſſim, i. e. *dabo operam.*

LXV.

Poſt Verba *Volendi, Jubendi*, & quæ *prodeſſe aut æquum eſſe*, vel *his contrarium* ſignificant, ſequitur interdum Accuſativus cum Infiniti-

vo, *qui resolvi potest in Nominativum & Conjunctivum, adjectâ particulâ UT vel NE: ut,*
Pater vult te manere domi.
i.e. Pater vult ut maneas domi.
Nolo te hoc facere.
Mâlo te ista cognoscere ex aliis.
Non sino te abire.
Pater jussit hoc fieri.
Æquum est pueros obedire suis præceptoribus.

Quomodo differunt UT & QUOD?

Quòd *plerumq; de eventu & re gesta dicitur, & significat Quia;*
UT verò dicitur de causa finali.

LXVI.

Casus sequens Infinitivum *Esse* aut *Fieri* & similia, convenit cum proximo suo Casu præcedente: ut,
Cato esse quàm videri bonus malebat. Saluft.
Cave te tristem esse sentiat. Ter.

Pertinent huc: *Evado, Existo, Maneo, Nascor:* Verba Passiva *Nuncupandi, Existimandi & Cognoscendi:* Item Nomina *gestuum & status alicujus: ut,*
Ille vult videri pius.
Credo illum haberi virum doctum.
Parmenonem incedere tristem video. Ter.

Nota. 1. Quando aliquod Verbum in Modo finito cum obliquis construitur, tunc illi Obli-

Obliqui manent etiam in Infinitivo: ut,
Scio te esse acri ingenio.
Gaudeo rem fuisse tibi cordi.
Jam me totum scis esse Pompeij. Cic.

Dicimus enim: *Hic vir est acri ingenio. Hæc res est mihi cordi. Sum Pompeij.*

2. Cum Verbo *Licet*, *Expedit* & similibus Infinitivus ESSE aut FIERI post se Dativum vel Accusativum admittit; ut,
Mihi negligenti esse non licet. Cic.
Licuit esse otioso Themistocli. Cic.
Civi Romano licet esse Gaditanum. Cic.

L X V I I.

Græcismus est, cùm Infinitivus ponitur pro Gerundio: ut,
Et cantare pares, & respondere parati.
Pro pares cantando & parati ad respondendum.
Magnum dat ferre talentum. Virg. Pro *ad ferendum, vel ut ferat.*

DE GERUNDIIS.

L X V I I I.

Gerundia cum Nominibus, Verbis & Præpositionibus *ante se* construuntur more Substantivorum: *Post se* autem Casus Verborum suorum recipiunt.

Ante se:

Quemadmodum enim dicimus: *Studiorum causa, aptus studiis, aptus ad studia, fessus studiis:* Ita etiam *Discendi causâ, aptus discendo, aptus ad discendum, fessus discendo.*

Post se:

Obliviscendum est injuriarum & injurias.
Pacem Trojano à Rege petendum. Virg.
Parcendum est teneris. Juvenal.
Standum est promissis. Cic.
Utendum est ætate: cito pede labitur ætas. Ov.

LXIX.

Cùm *necessitatem* vel *officium* significant in DUM Gerundia, Dativum personæ adsciscũt, aut etiam absolutè sine Casu ponuntur: ut,

Eundum est mihi. Surgendum est nobis.
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano. Juven.

DE SUPINIS.

LXX.

Supina priora Casum Verbi sui adsciscunt, & cum Verbis significantibus motum ad locum junguntur: ut,

Cur te is perditum? Ter.

Nutri-

Nutricem accersitum iit. Ter.

Graiis servitum matribus ibo. Virg.

Sæpè etiam Supina in UM *absolutè* ponuntur sine Casu: ut,

Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsa. Ovid.

LXXI.

Posteriora Supina ferè construuntur cum Adjectivis *facultatem* aut *modum aliquem rei* significantibus: aut cum Verbis significantibus *motum de loco: ut,*

Turpe quidem dictu, i.e. *dici, vel ad dicendum.*

Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli. Virg.

Hæc etiam auditu acerba sunt. Cic.

Horrendum auditu & visu.

Cibus difficilis concoctu.

Primus cubitu surgat, postremus cubitũ eat. Cat.

Obsonatu redeo. Plaut.

DE IMPERSONALIBUS.

LXXII.

Impersonalia aut *absolutè* sine Casu ponuntur, aut per *obliquos* personam designant: ut,

Si libet, licet.

Quid agitur? Statur. Ter.

Occurritur nobis à doctis. Cic.

LXXIII.

Libet, licet, liquet, accidit, contingit, expedit,

convenit, evenit, constat, vacat & similia, Dativum adsciscunt cum Infinitivo: ut,
Non licet mihi deplorare vitam. Cic.
Sic mihi non collibet.
Ero ubicunque libitum erit animo meo. Plaut. Asin.
Cui peccare licet, peccat minus. Ovid.

Nota. *Libet, licet, liquet*, interdum etiam Personaliter usurpātur in tertiâ Singulari: ut,
Facite, quod vobis libet. Ter.
Si tibi id minùs libebit, non te urgebo. Cic.
Non idem mihi licet, quod iis, qui nobili genere nati sunt. Cic.

LXXIV.

Decet, Dedecet, Oportet, Juvat, & Delectat
Accusativum adsciscunt cum Infinitivo: ut,
Omnes homines summâ ope niti decet, ne vitam silentio transigant veluti pecora. Sal.
Oratorem simulare non dedecet. Cic.
Mendacem oportet esse memorem. Prov.
Inprimis me delectavit, tantum studium bonorum in me extitisse. Cic.

Nota. 1. *Decet, Dedecet, Oportet, Juvat, & Delectat* etiam Personaliter usurpantur in tertiâ Singulari & Plurali: ut,
Verecundia decet adolescentiam.
Parvum parva decent. Hor.

LXXV.

Pœnitet, Piget, Pudet, Tædet, Miseret, & Mise-

Miserescit Accusativum personæ adsciscunt, sequente Genitivo vel Infinitivo: ut,
Nihil faciendum est, cujus nos pœnitere possit. Cic.
Pœnitet me facti. Pœnitet me id fecisse.
Non te horum pudet? Ter.
Pertæsum est levitatis Græcorum? Cic.
Nónne te miseret mei? Ter.

LXXVI.

Debet, Solet, Incipit, Cœpit, Desinit, Potest & similia Impersonaliter posita, adsciscunt Infinitivum Passivum, aut Impersonalem Activum: ut,
Debet fieri Es sol geschehen.
Tædere solet avaros impendij Es pfleget.
Solet dici Man pfleget zu sagen.
Incipit, cœpit, desinit pluere.
Cœptum est navigari Man hat angefangen zu schiffen.
Non potest jucundè vivi, nisi cum virtute vivatur. Cic.

LXXVII.

Interest & Refert cùm *pertinere* significant, Genitivum adsciscunt sequente mox Infinitivo, vel Conjunctivo cum particulis UT, AN, NE & similibus: ut,
Interest omnium rectè facere. Cic. 2. de fin. id est, Ad omnes pertinet.

Reip. interest conservari literas. Cic. 2. de Div.
Vel: *Ut conserventur literæ.*
Refert omnium animadverti in malos. Cic.

Sed Pronomina Possessiva: *Meâ, Tuâ, Suâ, Nostrâ, Vestrâ, Cujâ* Verbis *Interest* & *Refert* Ablativo Casu junguntur: ut,
Et tuâ & meâ maximè interest, te valere. Cic.
Tuâ quod nihil refert, percontari desinas. Ter. Hecyr.

Nota. 1. *Interest & Refert* admittunt etiam Genitivos: *Tanti, quanti, parvi, magni, permagni, pluris: ut,*
Permagni nostrâ interest, te esse Romæ. Cic.
Magni interest Ciceronis, vel meâ potiùs, vel mehercule utriusq;, me intervenire discenti. Cic.
Permagni interest, quo tempore tibi hæc epistola reddita sit. Cic.
Utriusq; nostrûm magni interest, priùs ut te conveniam, quàm discedas. Cic.

2. Verbis *Interest & Refert* aliquando etiam Nominativus tanquam Personali Verbo præponitur, *præsertim verò Pronomina: Hoc, Illud, Id; Quod, & similia: ut,*
Illud meâ magni interest, te ut videam. Cic. 11. Att. 18.
Non scripsi id, quòd tuâ nihil referebat. Cic.
Id permagni referre arbitror. Ter.
Quid tuâ (malum) id refert. Ter.

3. Ver-

3. Verbum *Intereſt* loco Genitivi recipit etiam Accuſativum cum Præpoſitione Ad: ut,
Magni intereſt ad decus & ad laudem hujus civitatis ita fieri. Cic.

4. Verbum *Refert* etiam abſolutè ſine Caſu ponitur; ut,
Nec numero comprehendere refert. 2. Georg.

LXXVIII.

Imperſonalia *Paſſivæ* vocis *ante ſe* Caſum non habent: *Poſt ſe* autem omnes Caſus ſui Verbi perſonalis recipiunt, præter Accuſativum Verbi Activi: ut,
Vivitur ex rapto. Occurritur nobis à doctis. Cic.
Mihi hîc nec ſeritur nec metitur. Itur Athenas.
Itur in antiquam ſilvam. De tuo luditur corio.
Pugnatum eſt biduum. Dormitur totam noctem.
Non autem: *Legitur Virgilium, &c.*

DE SYNTAXI PARTICIPIORUM.

LXXIX.

Participia imitantur Verborum ſuorum Conſtructionem: ut,
Legens Virgilium. Legendus à Virgilio.
Homo ſemper amans te. Cic. 6. Att.
Accuſandus eſt negligentiæ. Cic.
Pœnitens facti. Suet.

Nota. Participia Futura in DUS cum ne-

cessitatem vel officium significant, sæpè Dativum personæ adsciscunt: ut,

Deus orandus est nobis.

LXXX.

Natus, Prognatus, Satus, Cretus, Editus, Ortus & his similia, Ablativum adsciscunt: ut,

Pelope natus. Cic. *Tantalo prognatus.* Cic.

Natus summo loco, illustri loco, antiquissimâ familiâ, amplissimâ familiâ. Cæs.

Ingenuis parentibus natus. Plaut.

—*Sate sanguine divûm.* Virg.

—*Quo sanguine cretus.* Virg.

Et cum Præpositione: ut,

Ex me hic non natus est, sed ex fratre. Ter.

Ex concubinâ ortus. Salust.

LXXXI.

Duo Ablativi *consequentiam designantes* sæpè conjunguntur, sed alter Nominis aut Pronominis, alter Participii, *& exponi possunt per Nominativum & Verbum Conjunctivi Modi, additâ particulâ,* cùm, dum, postquam, si, *aut simili: ut,*

Imperante Maximiliano Veneti graviter afflicti sunt, id est, cum, vel, dum imperaret Maximilianus.

Nil juvat amisso claudere septa grege. Ov.

Scripsi hæc ad te, appositâ secundâ mensâ. Cic.

Nota. 1. Interdum Participium *Existente* in hac forma subintelligitur: ut,

Me

Me suasore & impulsore factum est. Plaut.

2. Interdum ponitur Ablativus Participii Perfecti solus, sed Impersonaliter: ut,
Audito Regem in Ciliciam tendere. Salust.
i. e. postquam auditum esset.
Permisso seu dicere prius, seu audire mallet. Liv.
i. e. cum permissum esset.

DE SYNTAXI ADVERBIORUM.

LXXXII.

Adverbia subjiciuntur *Verbis* & eorum *Participiis* ad explicandas actionum circumstantias: ut, *Festina lentè.*
Quod citò fit, citò perit. Plin.
Meâ sententiâ non omninò delirans.

Eadem est ratio *Nominum Adjectivorum*, quando *Adverbialiter* Verbis aut eorum Participiis adjiciuntur: ut, *Horrendum clamat.*
Torvùm videt, pro, *Torvè.*
Insueta rudentem, pro, *Insueto more.*

LXXXIII.

Adjiciuntur & Nominibus *Adjectivis*, aut *Adjectivè usurpatis* Adverbia Intendendi, vel minuendi gratiâ: ut,
Vir egregiè doctus, Mulier admodum anus.

Inter-

LXXXIV.

Interdum etiam duo vel plura Adverbia sibimetipsis subjiciuntur: ut,
Sat citò, si sat benè. Cato.
Non admodum pulchrè.
Parùm diligenter. Rarò admodum.

De Adverbiis cum Nominibus in Regimine Casuum.

LXXXV.

Adverbia *à Nominibus derivata*, Primitivorum suorum constructionem sequuntur: ut,
Pulcherrimè omnium stetit.
Obviam ei processimus.
Similiter huic vestitus erat.
Convenienter naturæ vivere. Cic.

Sic *Propiùs & Proximè* Constructionem Præpositionis *Propè* & Nominum suorum retinent: ut,
Jugurtha propiùs montem suos collocat. Sal.
Meum officium esse putavi, exercitum habere quàm proximè hostem. Cic.
Hic tuæ virtuti proximè accedit.
Quàm proximè potest hostium castris castra communit. Cæs.

LXXXVI.

Adverbia *Comparativi gradus* adsciscunt Ablativos: ut,

Meliùs

Meliùs te canit, i. e. *Meliùs quàm tu.*
Annum & eo diutiùs fuit in Galliâ. Cic.
Dies triginta aut plùs eo in navi fuit. Ter.
Tecum plùs anno vixit in Galliâ. Cic.
Plùs tertiâ parte interfectâ. Cæs.
Quisquis plùs justo non sapit, ille sapit. Mart.

LXXXVII.

En & Ecce Nominativum vel Accusativum adsciscunt: ut,
En Priamus! En dextra fidesq́;.
En quattuor aras. Virg.
Ecce nova turba atq; rixa. Cic.
Ecce miserum hominem. Cic. 2. Fin. *Ecce me, Ecce rem.*

LXXXVIII.

Sat, satis, abundè, áffatim, parum, partim, Genitivum postulant: ut,
Testium sat est. Cic.
Satis jam verborum est. Ter.
Satis abundeq́; pœnarum est. Quint.
Tibi divitiarum áffatim est. Plaut.
Terrorum & fraudis abundè est. Virg.
Satis loquentiæ, sapientiæ parum. Salust.

Quoad Genitivum *ejus* recipit: ut,
Quoad ejus fieri potest. Cic.

LXXXIX.

Quædam Adverbia *Loci* eleganter Genitivum adsciscunt: ut,

Ubi

Ubi loci sunt spes meæ? Plaut.
Ubi terrarum esses, ne suspicabar quidem. Cic.
Ubi tu es gentium? Plaut.
Fratrem nusquam invenio gentium. Ter.
Huc dementiæ pervenit.
Eò insolentiæ processit. Plin.
Interea loci. Ter.

X C.

Pridiè & Postridiè Genitivum vel Accusativum adsciscunt, aut Verbum aliquod cum particulâ *Quàm*: ut,
Pridie ejus diei venit. Cic.
Pridie Nonas Junij, cùm essem Brundusij. Cic.
Postridie ejus diei. Cæs.
Postridie ludos Apollinares. Cic.
Pridie quàm excessit è vita. Cic.
Postridie intellexi quàm à vobis discessi. Cic.

De Adverbiis cum Verbis in Regimine Modorum.

Adverbia Temporis.

X C I.

CUM Wenn/ adsciscit Indicativum & Futurum Conjunctivi: ut,
Cùm audio, vel audivi, aliquem ad te ire, literas ei dare soleo.

Cum

Cùm faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito. Virg.

Cognosces, cùm literas meas legeris.

XCII.

CUM als vel to/ adſciſcit Perfectum Indicativi, & Imperfectum & Plusquamperfectum Conjunctivi: ut,

Quod cùm audivi, statim ad te hunc misi.

Cùm scriberem. Cùm scripsissem.

Si verò *Temporis alicujus* mentio præcedat, etiam quodvis tempus Indicativi recipere potest: ut,

Multi anni sunt, cùm ille in ære meo est. Cic.

Alia Adverbia.

XCIII.

NE Adverbium Prohibendi Imperativo, aut Conjunctivo additur: ut,

Ne nega. Ne sævi tantoperè. Ter.

Ne post culpam conferas in me. Ter. Eun.

Istæc ne dixeris, pro, *ne dicas*. Plaut.

Ne simus ita ingrati adversus Deum.

Ne turbetur cor vestrum.

Oratores ferè utuntur *Conjunctivo*.

Cicero libentiùs usurpat *Noli & Cave: ut,*

Noli putare me quicquam maluisse. Cave putes.

XCIV.

NE

NE Adverbium *Jurandi, Optandi & Supplicandi* Conjunctivum adſciſcit: ut,

Ne ſim ſalvus, ſi aliter ſcribo, quàm ſentio. Cic. 16. At. 13.

Sed ne vivam, ſi tibi concedo. Cic.

Ne Dij ſiverint, ut hoc decus mei capitis aut demere mihi quiſquam aut condonare poſſit. Curt. l. 5.

Das wolle Gott nicht.

Utinam ne Phormioni id ſuadere in mentem incidiſſet. Ter.

XCV.

Optandi vel *Imprecandi* particulæ, *Ut, Utinam* & *O ſi* Conjunctivum adſciſcunt: ut,

Ut illum Dij deæq; perdant. Ter.

Utinam ſit id, quod ſpero.

O utinam tunc, cum Lacedæmona claſſe petebat,
Obrutus inſanis eſſet adulter aquis! Ovid.

O mihi præteritos referat ſi Juppiter annos! Virg.

XCVI.

Ut pro *Quando* cum quadam admiratione, Indicativum habet: ut,

Cneus noſter, ô rem miſeram & incredibilem, ut totus jacet! Cic. Att.

Ut falſus eſt animi! Ter. Eun.

Ut ſæpè ſumma ingenia in occulto latent! Plaut.

Si autem *infinitè ſumitur*, habet Conjunctivum: ut,

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus!
Ut capiant vitium ni moveantur aquæ! Ov.

DE

DE SYNTAXI PRÆPOSITIONUM.

XCVII.

Præpositio Nominibus & Verbis addit suum Casum; ut,

Aptus ad studia. Pietas erga Deum.
Gratus pro beneficio.
Non datur ad Musas currere lata via.

XCVIII.

In, Sub, Super & Subter Accusativo serviunt, cùm *motum ad locum* significant:

Ablativo, cùm *quietem* significant, aut *in loco aliquid fieri*: ut,

In freta dum fluvij current.
Stans celsâ in puppi. Requiescat in pace.
Sub oculos cadere. Sub scalas se occultare.
Sub dio jacere. Sub nomine pacis bellum latet.
Super arborem collocare. Super saxum sedere sich setzen. *Super arbore sedere* sitzen
Consul equo citato subter murum advehitur.
Omnes ferre libet subter densa testudine casus. 9. Æn.

Nota.

1. IN habet etiam *Accusativum* quando significat

Erga: ut, *Pius in patriam.*
Contra: ut, *Crudelis in libros.*
Ad: ut, *Pisciculos minutos ferre obulo in cœnam.* Ter.

 Per

Per: ut, *Crescit in dies singulos hostium numerus.*

Habet *Ablativum* etiam, quando significat:

Inter: ut, *Hoc primùm sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse.* Cic. de Amicit.

Ante: ut, *In oculis duo majora navigia submersa sunt.* Curt.

2. SUB adsciscit etiam *Accusativum*, cùm significat,

Circa, *vel* paulo antè: *ut, Sub brumā, Sub finem.*

Paulo post: ut, *Sub eas statim recitatæ sunt tua.* Cic.

Per: ut, *Sub noctem cura recursat,* i.e. *per noctem.* Vel: *noctu.* Virg.

3. SUPER habet etiam *Accusativum*, cùm significat,

Inter, *vel* in tempore: ut, *Super cœnam.* Plin. l. 4. Pro, *inter cœnandum*, vel, *tempore cœnæ.*

Præter: ut, *Obsessa urbs foret, super bellum annonâ premente.* Liv.

Ultrà: ut, *Super ripas Tiberis effusus amnis.* Liv.

Ablativum quoq; habet, cùm significat,

De: ut, *Hac super re scribam ad te.* Cic.

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. 1. Æn.

Ob: ut, *His accensa super,* i.e. *ob hæc.* 1. Æn.

4. SUBTER *Accusativum* ferè poscit, sive *Quietis*, sive *Motûs* Verbis adjungitur: ut, *Plato iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit.* Cic. 1. Tusc.

Inter-

Interdum etiam, apud Poetas potissimùm, *Ablativum* habet: ut,

Ferre libet subter densâ testudine casus. 9. Æn.

XCIX.

Præpositio Cum, quando *comitatum* significat, expressè additur, quando autem instrumento quodam aliquid fieri intelligitur, omittenda est: ut,

Stant cum gladiis in cõspectu Senatûs. Cic. 2. Phil.

Nemo est, qui nesciat, te fuisse in Comitio cum telo. Cic. 1. Catil.

Ille ferro interfectus, & tu inimicus ejus cum gladio cruento comprehensus es in illo ipso loco, Cic. 2. de Or.

Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret. Hor.

DE SYNTAXI CONJUNCTIONUM.

C.

Conjunctio aut *similia* conjungit: aut *dissimilia* præcedentibus annectit: ut,

Nox & amor vinumq; nihil moderabile suadẽt. Ov.

Gaudebam, & mihi persuaseram fore, ut omnia placarentur inter vos. Cic. Att. 14.

De Causalibus.

CI.

Conjunctiones Causales, UT, NE, QVO, QVIN, Conjunctivum adsciscunt.

Si Præsens vel Futurum præcedit, S

Præsens Conjunctivi: Sin Præteritum præcesserit, Imperfectum Conjunctivi sequitur: ut,
Rogo te, ut facias hoc.
Rogabo patrem, ut mittat mihi libros.
Rogabam } *te, ut ad me venires.*
Rogavi
Rogaveram
Peto ne facias hoc, i. e. *ut non facias.*
Neq; id feci, quò tibi molestus essem. Plin.
Non dubito, quin facturus sis hoc.
Sic: *Rogo ut ista memineris, neq; oderis fratrem tuum.*
Rogabam ut ista meminisses, neq; illum odisses.

Sed tamen interdum etiam *Præsens Præterito*, & contrà *Præteritum Præsenti* respondet, si id sensus loquentis exigat: ut,
Homo creatus est, ut Deũ agnoscat & celebret.

Quia adhuc fieri debere intelligitur.
Deum precor, ut hic dies tibi feliciter illuxerit.
Velim ita fortuna tulisset. Cic. 3. fam. 13.
Ut januam clauderent, & ipsi ad fores assisterent, imperat. Cic.
Nemo Lilybæi fuit, quin viderit. Cic. 7. Verr.

Nota. 1. Frequens & elegans est Ellipsis Conjunctionum UT & NE: ut,
Sine videam. Sine ad me redeam.
Velim cogites. Consilium meum laudes oportet.
Cave dixeris. Cave te tristem esse sentiat.

Sæpè etiam pro Conjunctione causali ...rpatur UT NE: ut,

Impe-

Impetrant, ut ne jurent. Cic.3. Verr.
Opera datur, ut judicia ne fiant. Cic.3. ad Q. Fr.

3. Quò causalis, pro UT, vel Quòd, semper cum Conjunctivo ponitur: ut,

Legatos ad Cæsarem mittit, se iccircò à suis discedere, atq; eum venire noluisse, quò faciliùs civitatem in officio contineret. Cæs. i. e. UT.
Non quò haberem magnoperè quid scriberem, sed ut loquerer tecum absens. Cic. i.e. Quòd.

Quando usurpari solent Coniunctiones Causales UT & NE?

UT & NE usurpantur plerumque de causâ finali aut impulsivâ, & de re futurâ: ut,
Esse oportet ut vivas, non vivere ut edas.
Ideò feci, ne tu securus esses, sed ut vigilares.
Amor in te meus impulit me, ut ad te scriberem.

Subjici verò solent Verbis *Petendi, Monendi, Svadendi, Jubendi, Impellendi, Hortandi, Sanciendi, Faciendi, Permittendi, Metuendi, Pertinendi,* & quibuscunq; *Voluntatem, Studium, Utilitatem, Honestatem, Contingentiam* aut *Necessitatem* aliquam, vel his *contrarium,* significantibus, item particulis *Intendendi & causæ finalis.*

Quid significat Conjunctio QUIN?

Significat interdum UT NON: interdum *Qui non, Quæ non, Quod non:* interdum etiam *Quòd non* per Conjunctionem.

Quando usurpari solet Conjunctio Causalis QVIN?

1. QVIN, pro, UT NON, sine significatione causæ finalis, sequitur, quando præcessit: *Non est dubium, Non dubito, Parum abest, Nihil abest, Nihil prætermitto: Facere non possum, Intermittere non possum, Causæ nihil dico,* & similia : ut,

Non est dubium, quin uxorem nolit filius. Ter.

Non dubito, quin hoc efficere possis.

Prorsus nihil abest, quin sim miserrimus. Cic. 14. Att.

Minimum abfuit, quin interciperetur. Suet.

Nihil prætermisi, quantum facere potui, quin Pompejum à Cæsaris conjunctione avocarem. Cic. 2. Phil.

Facere non possum, quin quotidiè mittam. Cic.

Causæ nihil dico, quin ita sit. Cic. pro Quinct.

2. QVIN pro *Qui non, Quæ non, Quod non,* sequitur ferè, cum præcessit *Nemo, Nullus* & similia : ut,

Nemo est, quin existimet, i. e. *qui non existimet.* Cic.

Dies ferè nullus est, quin hic Satyrus domum meam ventitet, i. e. quo non. Cic. 1. Att.

CII.

Post Verba *Timendi*, UT *Negativè* significat: NE verò *Affirmativè*.

Sunt autem Verba *Timendi*: *Metuo, Timeo, Vereor, Periculum est* ut,

Vereor ut possis hoc præstare,
Ich habe Sorge/du werdest dieses nicht thun können.
Vereor ne deseras me Ich fürchte du werdest mich verlassen.
Periculum est ne fiat Es ist zu besorgen/daß es geschehe.

Pro UT, ponitur interdum etiã NE NON: ut,
Si manet, vereor ne exercitum firmum habere non possit. Cic.
Timeo ne non impetrem. Cic.

CIII.

QVOD Causalis *in sententiâ finitâ* habet Indicativum Præsentis aut Præteriti Temporis: *In sententiâ* verò *infinitâ* seu *potentiali* adsciscit Conjunctivum: ut, (Cic.
In sententiâ finitâ: *Bene facis, quòd me adjuvas.*
Non tibi objicio, quòd hominem omni argento spoliasti.
Apparet, quòd aliud à terrâ sumpsimus, aliud ab humore. Cic. I. de Nat.
In Sententiâ Infinitâ: *Cato mirari se dicebat, quòd non rideret aruspex, aruspicem cùm vidisset.* Cic.
Facilè apparet, quòd me colat. Cic.
Utroq; modo rectè dici: *Quòd scribis gaudeo.* Et: *Quòd scribas gaudeo* docet Valla l.2.c.20.

Nota. I. QVÒD in principio sententiæ, pro *Quantum ad id quod,* habet Indicativum: ut,

Quòd ad me scribis de Hermathena, mihi gratissimum est. Cic. 1. Att. 3.
Quòd ad me sæpè scripsisti de nostro amico placando, feci, & expertus sum omnia. Cic. 2. Att. 2.

2. *Quod* præcedente *Non est*, vel *Nihil est*, habet Conjunctivum, & significat *propter quod*: ut,
Mihi crede, non est pro malis temporum, quòd molestè feras. Cic. 6. fam. 2.
Nihil est, quòd me invites. Cic. in Pis.
Ist unvonnöthen/daß du mich ladest.
In viam quòd te des, hoc tempore nihil est. Cic.

Quid significat Causalis Quòd?

Quòd Causalis, Græcè ὅτι, significat idem quod *Quia*, & plerumque *de eo, quod fit aut factum est* dicitur: ut,
Fecisti mihi pergratum, quòd Serapionis librum ad me misisti. Cic. 2. Att. 4.
Pergratum est mihi, quòd tàm diligenter libros avunculi mei lectitas. Plin. lib. 3. epist. 5.
Quòd nos invisis, gratum facis.
Non castigo te, quòd odio habeam, sed ut meliorem te efficiam.

C I V.

CUM pro *Quòd* daß/ habet Indicativũ: ut,
Gratulor tibi, cùm tantum vales apud Dolabellam. Cic. Att.
Mihi gratissimum fecisti, cùm eum nobis amicum, quàm servum maluisti. Cic.

Tibi

Tibi maximas gratias ago, cùm tantum meæ literæ potuerunt. Cic. 13. fam.

Non te tui piget, homo levissime, cùm ea culpas, quæ in historiis mihi gloriæ ducis? Cic.

CV.

Cum pro *Quoniam* dieweil/adsciscit Præsens vel Perfectum Conjunctivi, rarò etiam Imperfectum: ut,

Cùm vexent mala fata bonos (ignoscite fasso,)
Sollicitor, nullos esse putare Deos. Ov.

Cùm Athenas tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est, dedecorantem & Urbis autoritatem & Magistri. Cic.

Cùm, in quo accusabar, culpâ vacarē. Cic. 2. fam. 1.

CVI.

Quia, Quoniam, Quando, Quandoquidem & Quatenus ferè Indicativum habent, præsertim initio sententiæ: ut,

Quia paululum vobis accessit pecuniæ, sublati animi sunt. Ter. Hec. 3. 5.

Quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me. Ter.

Quando ego tuum non curo: ne cura meum. Ter.

Sed *Quia*, cùm significat *eò quòd*, Conjunctivum habet: ut,

Recordatione nostræ amicitiæ sic fruor, ut beatè vixisse videar, quia cum Scipione vixerim. Cic.

Nec quisquam est, qui dolorem ipsum, quia dolor sit, amet. Cic.

Nemo ipsam voluptatem, quia voluptas sit, aspernatur.

CVII.

ERGO pro *Causâ* Genitivum adsciscit: ut,

Illius ergò venimus, i.e. *Illius causâ.*

Victoria navalis ergò in unum diem supplicatio decreta est. Liv. bell. Mac. 7.

De Conditionalibus.

CVIII.

Si, Sin, Siquidem, Ni, Nisi modò Indicativũ, modò Conjunctivum adsciscunt, prout *Sententia finita* seu *certa*, & *infinita* seu *potentialis* significatur: ut,

Si id facis, hodiè postremùm me vides. Ter. And. 2. 1.

Si pranderet olus patienter, Regibus uti,
Nollet Aristippus. Hor. 1. ep. 17.

Mirum nî domi est. Ter.

Ni nôssem causam, crederem vera hunc loqui. Ter.

De Concessivis.

CIX.

Quamvis, licèt, Ut (pro *Quamvis*) Conjunctivum adsciscunt: ut,

Quamvis non fueris suasor profectionis meæ: approbator certè fuisti. Cic. 16. Att. 7.

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. Ov.

Quamvis rarò etiã Indicativo jungitur: ut,

Quam-

Quamvis est igitur meritis indebita nostris:
Magna tamen spes est in bonitate Dei. Ovid.

CX.

CUM pro *Etsi* ponitur cum Conjunctivo, quoties in altero sententiæ membro *Tamen* ei respondet: ut,

Cui (sententiæ) cum Cato & Caninius intercessissent: tamen est perscripta, Cic.1.fam.2.

Wiewol sich *Cato* **vnd** *Caninius* **darwider gesetzt.**

Quod cùm antea fecerim judicio meo commotus: tamen in posterum alacriùs tuâ humanitate incitatus faciam.

Germanicæ particulæ **do doch** redduntur Latinè per *cùm tamen* sequente Conjunctivo: ut, *Hic dissimulat se scire, cùm tamen optimè sciat*, i.e. *etiamsi sciat* **da ers doch gar wol weis.**

DE SYNTAXI INTERJECTIONUM.

CXI.

Multæ *Interjectiones* sæpè *absolutè* sine Casibus in oratione ponuntur: ut,

Eheu, quàm pingui macer est mihi taurus in arvo. Virg.

Heu Megadore. Væ Narcisse, scil. *tibi.*

CXII.

Heu & Væ Dativum adsciscunt: ut,

Hei mihi, qualis erat. 2. Æn. *Heu misero mihi.* Ter.

Væ tibi. Væ capiti tuo. Plaut. *Væ misero mihi.* Ter.

Proh,

Proh, Ah & Vah regunt Accusativum vel Vocativum: ut,
Proh Deûm atq; hominum fidem! Cic. 5. Verr.
Proh sancte Jupiter! Cic. 2. Phil.
Ah me miserum! Ah virgo infelix! Virg. 6. Ecl.
Vah inconstantiam! Vah mea Antiphila!
Vah homo impudens!

CXIV.

Hem & Heu Dativum, Accusativum aut Vocativum adsciscunt: ut,
Heu misero mihi. Hem astutias. Ter. And. 3. 4.
Hem Pamphile. Ter. And. 4. 2.
Hem mea lux, meum desiderium. Cic. 14. fam. 2.
Heu mihi, nequeo quin fleam. Plaut in Mil.
Heu misero mihi. Plaut. *Heu stirpem invisam!* Æn. 2.
Heu me miserum, cur Senatum cogor, quem semper laudavi, reprehendere? Cic. 2. Phil.
Heu pietas, heu prisca fides! 6. Æn.

Eheu, Accusativum habet: ut,
Eheu conditionem hujus temporis!

CXV.

Heus & Ohe Vocativum regunt: ut,
Heus Syre. Ter.
Ohe jam satis est, ohe libelle. Mart. 4. ep. 46.

CXVI.

O Exclamandi particula regit Nominativum, Accusativum & Vocativum: ut,

O vir

O vir fortis atq; amicus ! Ter. Phor. 2. 2.
O me perditum, ò me afflictum! Cic. 14. fam.
O ingentem confidentiam! Ter. And. 5. 3.
O Dave, itáne contemnor abs te? Ter. And. 3. 2.

Interdum O omittitur, cùm levior est affectus: ut,

Miserum me, cùm hac me peste atq; labe confero. Cic.
Me cæcum, qui hæc antè non viderim. Cic. 10. Att.

CXVII.

O Vocandi aut *Blandiendi* particula Vocativum adſciſcit: ut,

O Corydon, Corydon, quæ te demẽtia cepit? Virg.
O Melibæe, Deus nobis hæc otia fecit. Virg. Ecl. 1.

Sæpius tamen *O Vocandi* omittitur: ut,

Credo vos mirari, Judices. Cic.
Tityre, tu patulæ recubãs ſub tegmine fagi. Virg.

DE NATURALI ORDINE CONSTRUCTIONIS.

Regulæ.

1. *Conſtructionem inchoant* Interjectiones & Adverbia, *quæ Vocativum aut alios Caſus regunt, ſi adſunt unà cum ſuo Caſu.*

2. Vocativus, *ſi adſit.*

3. Nominativus, *aut quod vice ejus fungitur, cum cohærente Adjectivo aut Subſtantivo, & addendum ei Verbum Perſonale.*

4. *Si occurrant* Imperſonalia, *ab ipſis inchoanda*

anda est constructio, nec quærendus Nominativus.

5. Verbo adduntur Adverbia, Præpositiones, Conjunctiones, Nominativus sequens, aut obliqui, vel aliud Verbum.

6. Interrogativa, Relativa, Conjunctiones & Adverbia nonnulla sæpè perturbant Constructionem, cùm præponendæ sunt.

7. Obliqui & Infinitivi sequuntur dictionem regentem.

8. Compleatur etiam in constructione, vel à generali repetatur, ubi in textu aliquid deest.

Exempla.

Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego, huic nostræ similem, quò sæpè solemus
Pastores ovium teneros depellere fœtus.

Hos Versus sic ordinabis:

O Melibœe, ego stultus putavi, urbem, quam dicunt Romam *(esse)* similem huic nostræ *(urbi Mantuæ)* quò *(nos)* pastores solemus sæpè depellere fœtus ovium.

Aliud.

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus.
Hic corylis mistas inter consedimus ulmos.
Mop. Tu major, tibi me, est æquum, parere; Menalca,
Sive sub incertas, Zephyris motantibus, umbras,
Sive antro potius succedimus, &c. Sic

Sic construes:

Mopse, cur non consedimus hîc inter ulmos mistas corylis, quoniam convenimus ambo boni, tu *(bonus)* inflare leves calamos, ego *(bonus)* dicere versus? Mop. Menalca, tu es major, æquum est me parére tibi. Sive succedimus sub umbras incertas, Zephyris motantibus, sive *(succedimus)* potiùs antro.

Aliud.

Virg. 2. Æn.—*Juvenes fortissima, frustra,*
Pectora, si vobis audentem extrema cupido
Certa sequi, (quæ sit rebus fortuna videtis:
Excessere omnes adytis arisq; relictis
Dij, quibus Imperium hoc steterat) succurritis urbi
Incensæ, moriamur, & in media arma ruamus.
Una salus victis, nullam sperare salutem.

Sic construes:

O juvenes, fortissima pectora: frustrà succurritis urbi incensæ, videtis, quæ sit fortuna rebus. *(Nam)* omnes Dii excessêre adytis arisque relictis, quibus *(Diis)* hoc Imperium steterat. Si certa cupido *(est)* vobis sequi *(me)* audentem extrema, ruamus in media arma, & moriamur. Sperare nullam salutem *(est)* una salus victis.

DE



DE PROSODIA.

Quid est Prosodia?

EST pars Grammaticæ, quæ syllabarum *Quantitatem & Accentus* docet.

Quid est Syllaba?

Est comprehensio literarum, quæ uno eodemque *Spiritu ac Tono* efferuntur: ut, *Mons, pons, annus.*

Etiam unica Vocalis interdum facit syllabam: ut, *Eo.*

H in versu & quantitate syllabarum non habet vim Consonantis.

Quotuplex est Syllaba ratione ordinis?

Triplex: *Prima, media & ultima.*

Monosyllaba referuntur ad *ultimam* syllabam.

Quot accidunt Syllabæ?

Duo: Quantitas & Accentus.

DE QUANTITATE.

Quid est Quantitas Syllabarum?

Est mensura, quâ Syllaba alia censetur

Brevis

Brevis, alia *Longa*, alia *Anceps* ſeu *Communis*.

Quid eſt Syllaba Brevis?

Eſt Syllaba, quæ breve habet tempus, ideóque in verſu corripitur.

Ejus nota ſeu ſignum eſt Lineola deorſum curvata ᴗ *: ut, Pătter.*

Quid eſt Syllaba Longa?

Eſt Syllaba, quæ longum habet tempus, ideoq; in verſu producitur.

Ejus nota ſeu ſignum eſt Lineola recta — *ut, Māter.*

Quid eſt Syllaba Anceps?

Eſt Syllaba, quæ brevis & longa eſt, ideoq; in verſu corripi & produci poteſt.

Dicitur alio nomine *Communis & indifferens*.

Quotuplices ſunt hæ Quantitates Syllabarum?

Duplices: Aliæ *Naturâ* tales ſunt:

Aliæ *Poſitione* certarum literarum.

Quot modis cognoſcitur Quantitas Syllabarum?

Tribus Modis:

1. *Regulis.*
2. *Accentu.*
3. *Autoritate.*

Quid vocatur Autoritas in Quantitate Syllabarum?

Exemplum alicujus veteris Poetæ, quo dubiæ syllabæ quantitas demonstrari potest: ut,

Prima in oculus *brevis est autoritate Ovidii, qui eam corripuit in hoc versu :*

Adspiciunt oculis superi mortalia justis.

Quomodo cognoscitur Syllabarum Quantitas Accentu?

In Polysyllabis penultimâ *longa* Accentus est in eâdem: *ut, Docére, Audíre.*

Penultimâ *brevi*, Accentus est in Antepenultimâ: *ut, Légere, Díscere.*

Quid igitur requiritur, ut Syllaba aliqua Accentu cognosci possit?

1. Ut Vocabulum sit *polysyllabum.*

2. Ut syllaba Accentu cognoscenda sit *penultima.*

Nota. 1. *Polysyllabum*, si nondum est, fieri interdum potest per *Compositionem* : ut,

Scri *in voce* scribo *est longa Accentu per Compositionem. Dicimus enim* Inscribo, Rescribo *accentu in penultimâ.*

2. *Penultima* syllaba, si nondum est, fieri interdum potest per *Deminutionem* : *ut,*

In voce Hominibus *syllaba* mi *est brevis Accentu per Deminutionem, Quia dicimus* Homini, *Accentu in antepenultima.*

Poly-

Polysyllabum est, quod ad minimum habet tres syllabas.

REGULÆ.

Quotuplices sunt Regulæ de Quantitate Syllabarum?

Triplices:

Aliæ sunt *Generales*, de quibusvis syllabis.

Aliæ *Speciales*, de Primis & mediis syllabis.

Aliæ sunt *Specialissimæ*, de Ultimis tantùm syllabis.

REGULÆ GENERALES.

Quot modis cognoscitur Quantitas Syllabarum per regulas Generales?

Quatuor modis:

1. Vocali ante vocalem. 2. Diphthongo.
3. Contractione. 4. Positione vocalis ante duas Consonantes, aut unam duplicem.

I. Regula Generalis.

Vocalis ante vocalem brevis est: ut, *Pius, Nihil, Mihi, Prohibeo, Ruit &c.*

Excipiuntur:

1. Fio habet I longum, nisi assumat R. Tunc enim corripitur: ut,

Omnia jam fient, fieri quæ posse negabam. Ovid.

2. Genitivi & Dativi quintæ Declinationis E ante I producunt: *ut, Diei, Speciei,*

Præter *Rei, Spei, Fidei*, penultimâ brevi.

3. Genitivi in IUS habent I longum in solutâ oratione: in Carmine verò habent I commune: *ut, Unius, illius.*

Præter *Alius*, quod semper I producit.
Et *Alterius*, quod I corripit.

4. Genitivi antiqui in AI producunt A: ut,
Aulai in medio libabant pocula Bacchi. Virg.
Pro, *Aulæ.*

5. *Cai, Pompei, Vultei* & similes Vocativi penultimam habent longam: ut,
Quod peto, da, Cai, non peto consilium. Mart.

6. *Eheu* priorem producit: Sed *Ohe* priorem habet communem: ut,
Eheu quàm pingui macer est mihi taurus in arvo!
Ohe jam satis est, ohe libelle. Mart.

7. O exclamandi particula ante vocalem modò longa, modò brevis est: ut,
O utinam mea sors, quò primum cœperat, isset. Ov.
Te Corydon, ô Alexi: trahit sua quemque voluptas.

8. In Græcis Græca servatur quantitas:
Sic producuntur: *Aër, Dius, Museum, Eos.*
Græcè ἀὴρ, δῖος, μουσεῖον, ἠώς.
Sed *Eous Græcè dicitur* ἠῷος & ἑῷος.
Λαος cum compositis semper A producit: ut, *Menelaus, Nicolaus.* Sed Atticum λεώς, E breve habet: *ut, Nicoleos* - ◡◡ - *&c.*

Acade-

Academia in penultimâ est anceps, Græcè est ἀκαδημία & ἀκαδήμεια.

Patronymica in *eides* & *eis* à Nominibus in *eûs*, E anceps habent: ut,

Theseides, Theseis, Nereis, Æneis.

In Græcis enim est ε, & Ionicè η.

II. Regula Generalis.

Diphthongus Naturâ longa est: ut,

Cum vacuus Domino præiret Arion. Stat.

Sed *Præ* in Compositione, sequente vocali interdum corripitur: ut,

Ver præit æstatem.

Stipitibus duris agitur, sudibusq; præustis.

Interdum & apud Græcos Diphthongus ante vocalem corripitur: ut,

Longior antiquis visa Mœotis hiems. Ovid.

Quid hîc observandum?

Græca Diphthongus ει apud Latinos modò in I longum, modò in E longum transit.

I longum: ut,

Nilus, Idolum, latria, Iphigenia, litania, politia, Darius, Basilius, brabium vel brabeum. Græcè Νεῖλος, εἴδωλον, λατρεία, βραβεῖον *&c.*

E longum: ut, *Chorea, Platea, museum, spondeus, Choreus, Aristoteleus, Epicureus:* Græcè χορεία, πλατεῖα, μουσεῖον, σπονδεῖος, *&c.*

Poetæ tamen ex Diphthongo ει nonunquam

quam abjiciunt I, ut maneat E breve, Hinc *Chorea* ‿ *Platea* ‿.

III. Regula Generalis.

Syllaba *contracta* Naturâ longa est: ut, *Dî* pro *Dii* *Nîl* pro *Nihil*. *Mî* pro *Mihi*.

Quomodo fit contractio?

Contractio fit, quando duæ vocales coalescunt in unam: *ut*, *Cogo* pro *Coago*, *Tibicen*, pro *Tibiicen*, Genitivus *Alius* pro *Aliius*.
Sæpè etiam fit contractio mediante Syncope: ut, *Nil* pro *Nihil*, *Málo* pro *Mavolo*, *Ni* pro *Nisi*, *Quîs* pro *Quibus*, *Bigæ* pro *Bijugæ*, *Quadrigæ* pro *Quadrijugæ*, *Nonus* pro *Novenus*, *Junior* pro *Juvenior*, *Deûm* pro *Deorum* &c.

IV. Regula Generalis.

Positione longa est syllaba, cum vocalem proximè sequuntur duæ Consonantes, aut una duplex: ut,
Mons, *pōs*, *arma*, *axis*, *gaza*, *major*, *rejicio*, *rejectio*.
Sed Vocalis in fine non debet esse nuda.

Sic enim rarò apud Latinos fit Positio longa: ut,
Aurea nunc verè sunt secula: plurimus auro
Venit honos. Ovid. 2. de Arte.
Ponite spes sibi quisq;. Virg. 11. Æn.
Ignoscent, si quid peccavero stultus, amici. Hor.

In

In medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos. 3. Æn.

Excipe:

Muta cum Liquida in eâdem syllabâ sumpta, præcedentem vocalem, si extra positionem naturâ brevis est, facit ancipitem: ut,
Pater ∪∪ *Pa*–∪ *tris.* Sic *Atlas, Cygnus &c.*
Et primo similis volucri, mox vera volucris. Ovid.

Quorum autem vocales extra Positionem non veniunt, ea cognoscuntur *Autoritate.*
Suntq; vel Longa: *ut, Ebrius* - ∪ ∪.

Vel Communia: ut prima in *proprius, Cyclops*: secunda in *Tenebræ &c.*

Nota. 1. *Bijugus, quadrijugus, multijugus, diiambus* habent i breve.

2. M & N rarò liquescunt, idq; in Græcis dictionibus tantùm: ut, *Tecmessa, Cycnus vel cygnus, Progne, Terapne, Ichnevmon.* In his igitur prima syllaba est anceps.

3. *Vocalis naturâ longa* per mutam & Liquidam non potest corripi: Hinc penultima semper longa est in sequentibus: *Acris, matris, fratris, libra, nutrio, ambulacrum, lavacrum, volutabrum, involucrum &c.*

4. Composita cum Præpositionibus *ab, ad, ob, sub* sequente consonante, nunquam primam corripiunt. Quia in his muta & liquida non sumuntur in unâ eâdemq; syllabâ: ut,

Ab-luo, ab-latus, ab-nuo, ab-rado, ad-repo.
Ob-ligo, ob-ruo, ob-mutesco, sub-levo.

REGULÆ SPECIALES
De Primis & Mediis Syllabis.

1. Regula.

Derivata retinent quantitatem sui primitivi & Thematis, à quo descendunt: ut,

Jocus *habet primam brevem, ergò &* Jocosus & Jocor. Sic *Potior, potestas v.*

Amo	*amavi*	*amatum*	prima ᴗ.
Clamo	*clamavi*	*clamatum*	prima –

Fauces suffoco. Ambulátum ambulácrum. Simulatum simulácrum. Valere vale-tudo. Veréri vere-cundus. Sititum siti-bundus. Scitum Insci-tia media longa. Sed *Virgineus à Virgo Virginis* media brevi.

Excipe:

1. Præterita & Supina disyllaba habent priores longas, nisi sit vocalis ante vocalem: ut, *Video vidi visum. Sto statum &c.*

Præter hæc *sex* Præterita *& novem* Supina: *Tuli, dedi, steti, bibi, scidi, fidi,* à Findo, Scindo.

Datum, ratum, satum, itum, litum, quitum, situm, citum, rutum à Reor, sero *sevi,* lino, queo, sino, cieo. Sed *citum* à Cio producitur.

2. Quatuor hæc Præterita, quæ à longis veniunt, primam corripiunt: *Gigno genui, Pono posui, Possum potui, Cogo coegi.*

3. Con-

3. Contra naturam Primitivorum corripiuntur:

Arista ab Areo vel Aresco. *Coma à Como.*
Dicax à Dico is. *Ditio à Dis ditis.*
Dux ducis à Duco. *Lucerna à Luceo.*
Molestus à Moles. *Nato à Nonas nare.*
Nota à Notum. *Odium ab Odi.*
Sagax à Sagio. *Sopor à Sopio.*
Vitium à Vito, quod nonnulli à *Vetando* sumũt.

Sic Omnia quæ à Supino *Statum* descendunt, primam corripiunt: *ut, Status, us, Status a um, statio, stabilis, statuo, stabulum.* Præter Participium *staturus*, item, *stamen & stator*, quod quidam *à Sisto* deducunt.

Statim, id est, *mox*, habet primam brevem.

Sed, cum significat *perseveranter & æqualiter* habet eandem longam.

Liquor Nomen, est breve sicut *Liqueo.*

Liquidus est breve, quando sumitur à *Liqueo.* Sed longum est, quando sumitur à Verbo Deponenti tertiæ Conjugationis *Liquor eris*. At *Liquo* primæ Conjugationis id est *Liquefacio* brevis est.

4. Contra naturam primitivorum producuntur:

Denus à Decem. *Feria à feriendis victimis.*
Humanus ab Homo. *Junius & Junior à Juvenis.*
Laterna à Lateo. *Lex legis à Lego.*
Litera à Litura. *Nonus à Novem.* *Pe-*

Penuria à Penus.	*Rex regis, Regulus à Rego.*
Secius à Secus.	*Sedes à Sedeo.*
Suspicio à Suspicor.	*Tegula à Tego.*
Vomer à Vomo.	*Vox vocis, Vocalis à Voco.*

In *Denus, Nonus, Junior*; pro *Decenus, Novenus, Juvenior* abjecta syllaba compensatur per longam.

2. Regula.

Præterita polysyllaba in VI & SI producunt penultimam: ut,

Peto petivi. Quæro quæsivi.
Divido divisi.

3. Regula.

Reduplicatio præteriti geminati trisyllabi brevis est, unà cum mediâ sequente, nisi Positio impediat: ut,

Disco didici. Cado cécidi. Tundo tútudi.
Excipitur penultima in *Cecîdi à Cædo, & Pepêdi à Pedo.*

4. Regula.

Omnia Supina polysyllaba penultimam producunt cum Participiis inde formatis: ut, *Amatum, petitum, divisum, solutum, oblitum &c.*

Excipiuntur:

Supina in ITUM, quæ non ab IVI veniunt, penultimas corripiunt: ut.

Noceo nocui nocitum vu.
Fugio fugi fugitum vu.

5. Re-

5. Regula.

Multarum syllabarum Quantitas, præsertim verò penultimæ ex Analogiâ Declinationum & Conjugationum cognoscitur: ut, *Corpus corporis* : Ergò & *Decus decoris* ∪ ∪.
Amo, amabam, amabo, amarem, amare - ∪.
Ergò & *Clamo, clamabam, clamabo, &c.* - ∪.

Nota. 1. *Do Das Da* longa sunt: in cæteris syllaba *Da*, ex Verbo *Do*, brevis est: ut,
Dabam, dabo, dato, darem, dare, ∪ ∪.

Etiam in compositis: ut, *Circúndabam, circúndabo.*

2. U in præsenti Verborum ubique corripitur: ut, *Sumus, Quæsumus, Volumus.*

3. Personæ IMUS & ITIS ubiq; in penultimâ corripiuntur. Excepto Præsenti Quartæ Conjugationis: & *Simus sitis, Velimus velitis,* - ∪ Sed in Futuro Conjunctivi tantum in versu nonnunquam producuntur.

6. Regula.

Dativi & Ablativi plurales in BUS & BIS præcedens a e o producunt: Sed I & U corripiunt: ut,
Deabus, Rebus, Ambobus, Bobus, Nobis, Vobis, Arcibus, Arcubus ∪.

Excipiuntur ea, quorum ultima Syllaba Nominativi B habet: ut, *Arabus, Sombi.*

7. Regula.

Vocalis ante *Men & Mentum* producitur: ut

ut, Gramen, limen, nomen, sacramentum, rudimentum, jumentum.

Excipiuntur :

1. Quæ veniunt à Præsenti, vel Supinis habentibus penultimam brevem, aut positione tantùm longam, brevia sunt: ut,

Specimen, regimen, monumentum, nocumentum, documentum, tegumentum.

2. Brevia sunt: *Columen, semen inusitatum, tamen, elementum & emolumentum.*

3. *Hymen & Limen* communia sunt.

8. Regula.

Desinentia in AL, ARE & ARIS penultimam producunt: ut,

Vectigal, tribunal,

Calcare, Altare, lunaris, solaris.

Excipiuntur brevia :

Animal, Capital, Toral: Mare, Bimaris, Hilaris.

Et propria *Hannibal, Asdrubal: Abaris, Araris, Fabaris, Phalaris, Sybaris.*

9. Regula.

Substantiva in LE, ELA, & ETUM Comprehensiva, penultimam producunt: ut,

Cubile, monile, tela, loquela, simetum, salicetum, quercetum.

Excipiuntur brevia :

Insile, Nephele, Cybele, Hecale, Herophile, Idale, Semele, Getast. & Hedymela.

10. Re-

10. *Regula.*

In DO & GO Subſtantiva penultimam producunt: ut, *Alcedo, cupido, imago, fuligo.*

Excipiuntur brevia:

Cómedo, Unedo, Mácedo, ligo, Hárpago.

Sed *Spado* anceps eſt.

11. *Regula.*

Subſtantiva in INUS quædam corripiuntur: *Acinus, aſinus, cophinus, dominus, facinus, ricinus, ſinus* der Schoß Quibus adde hæc Adverbia: *minùs, cominus, eminus, protinus.*

Item hæc Nomina propria: *Acyndinus, Æſchinus, Alcinus, Cœlinus, Cynicus, Earinus, Enæſinus, Fucinus, Licinus, Linus, Morini, Ticinus* vir (*Ticinus fl.* –)

Quædam Subſtantiva in INUS producuntur: *ut, Amitinus, caminus, catinus, covinus, cyprinus, echinus, florinus, inquilinus, lupinus, mediaſtinus, myrinus, pinus, ſinus* vel *ſinum* ein Aſch.

Item hæc propria: *Apenninus, Atheſinus, Faborinus, Juſtinus, Ninus, Nigrinus, Quirinus, Tiberinus, Valentinus, Venuſinus & ſimilia.*

Sic *Catilina, concubina, culina, diſciplina, Erycina, farina, hemina, heroina, lapidicina, Libitina, Lucina, moletrina, napina, officina, Palæſtina, rapina,* etiam pro loco raparum, *Regina, ſabina* herba, *ſagina, ſalina, ſalinum, vagina.*

Sed *Mútina* brevis eſt.

12. *Regula.*

Adjectiva in INUS producuntur, præſertim ea,

ea, quæ à Nominib. *animalia* aut *tempus* significantibus descendunt: *ut, Anserinus, asininus, equinus, leoninus, lupinus, porcinus &c. matutinus à Matuta, vespertinus à vespera.* Item *adulterinus, bini, trini, quini, cisterninus, clandestinus, collinus, coracinus, figlinus, gelasinus, marinus, peregrinus & similia.*

Sed corripiuntur Adjectiva in INUS.

1. Quæ ab Adverbiis Temporis oriuntur: *ut, Crastinus, serotinus, diutinus, perendinus, pristinus, hornotinus.*

2. Quæ materiam significant, & à nominibus *non-animalia* significantibus descendunt: *ut, Adamantinus, amaracinus, amygdalinus, amethystinus, apyrinus, bombycinus ab hæc bombyx pro materia, carbasinus, carbatinus, caryinus, cedrinus, chimerinus, coccinus, crocinus, crystallinus, cupressinus, fabaginus, glaucinus, hyacinthinus, ianthinus, melinus, myrrhinus, oleaginus, oporinus, prasinus, succinus, tartarinus, thalasinus, therinus.*

13. Regula.

I ante Vav producitur: *ut, Dives, rivus, vivo, lixivia.*

Excipiuntur brevia:

Nix nivis, redivivus ∪∪-∪ *bivium, trivium, Trivia,*

Trivia, Ninive, quod tamen etiam producitur.
Sed *ubivis* anceps est.

14. Regula.

Adjectiva Latina in ORUS & OSUS, & Adverbia in TIM penultimam producunt: ut, *Canorus, vinosus, dietim, viritim.*
Excipiuntur brevia: *Affatim & perpetim.*
Sed *statim*, i. e. mox, est breve, alias producitur.

15. Regula.

Adverbia in ITUS penultimam corripiunt: ut, *Cœlitus, funditus, radicitus.*

16. Regula.

Patronymica Masculina in ADES penultimam brevem habent: *ut, Æneades, Anchisiades, Laertiades, Hippotades.*

17. Regula.

Patronymica Masculina in IDES ex Nominibus in εύς penultimam producunt: ut, *Atrides, Pelides, Thesides, Ænides, Græcè ἀτρεΐδης. πηλεΐδης &c.*

Cum verò diphthongus ει in talibus resolvitur (id quod rarissime fit) tunc utraq; vocalis naturâ brevis est: ut,
Æneïdes, Peleïdes, Theseïdes.

Inserto autem Ionico more, A brevi, tunc E producitur: ut, *Theseiades, Peleiades* - υ υ -

18. Re-

18. *Regula.*

Patronymica Masculina in IDES, ex Nominibus secundæ vel tertiæ declinationis Latinæ, penultimam corripiunt: ut,

Æacides *Æolides* *Priamides.*
Agenorides *Æsonides* *Pelopides.*

Excipiuntur, quæ penultimam communem habent *ut Belides, Lycurgides, Amphiaraides, à Belus, Lycurgus, Amphiaraus.*

19. *Regula.*

Patronymica fœminina in EIS, quorum primitiva propria Græcè in εὺς desinunt, pro diversa formatione ex Genitivo vel communi vel Ionico, E modò corripiunt, modò producunt: ut, Θησεὺς *Theseus.* G. Θησέος & Ion. Θησῆος hinc ἡ Θησεὶς & Θησηίς Latinè *Theseis* penultima ancipiti. Sic *Æneis, Nereis* ab αἰνεὺς Νηρεὺς & similia.

20. *Regula.*

Patronymica fœminina in NE præcedens I vel O producunt: ut, *Nerine, Acrisione.*

21. *Regula.*

Derivata in Ocinium, O producunt, CI corripiunt: ut, *Patrocinium, lenocinium.*

22. *Regula.*

Deminutiva in Olus, a, um, & ulus, a, um, penultimam brevem habent: ut,

Aureo-

Aureolus, urceolus: Bellulus, hortulus, puellula.

23. Regula.

Verbalia in LIS & BILIS penultimam corripiunt: ut *Amabilis, pensilis.*

Sed Denominativa in LIS penultimam producunt: ut, *Æqualis, herilis, infantilis.*

Præter *Humilis, dapsilis, parilis, pestilis.*

24. Regula.

Antepenultimam producunt Denominativa Latina & Verbalia in *Aceus, aneus, arius, aticus, abilis, atilis, aculus, acundus, monius, iticus, itius* à Supinis, & *torius* desinentia: ut, *Mustaceus, subitaneus, librarius, aquaticus, amabilis, aquatilis, graculus, umbraculum, tabernaculum, iracundus, parsimonia, patrimonium, Leviticus, Samariticus, adventitius, supposititius, meritorius, notorius.* Quibus adde *Novitius, & Multatitius.*

Brevia sunt: *Baculus, jaculum, macula, harmonia, Hæmonius, Strymonius, Marius, Icarius.*

25. Regula.

In olentus desinentia corripiunt O: ut, *Violentus, sanguinolentus.*

26. Regula.

Corripiunt U desinentia in *ulo, ulus, ulentus, uplus, urius & urio*: tàm Nomina, quàm Verba Meditativa: ut,

Ululo, tumulus, tegula, lutulentus, feculentus,

duplus, decuplus, Mercurius, luxuria, centuria, decuria, centurio, decurio, esurio, cœnaturio, parturio &c.

Excipiuntur longa:

Cucúlus apud Horatium, quod tamen Martialis corripit, & quæ Græcè υ habent: ut, *Gætulus, Julus, Aristobulus, Thrasybulus*, item *penuria, curia, injuria.*

Hæc Verba: *Prurio, ligurio, scaturio, scalpturio, cucurio* Meditativa non sunt, igitur huc non pertinent, sed producuntur.

27. Regula.

U epentheticum & quando ponitur inter duas consonantes, quarum posterior est Vav, corripitur: ut,

Induperator, indugredi, juvo, juvenis, fluvius, exuvium, diluvium.

Excipe *juvi* Præteritum, & *Juverna*, i.e. Hibernia, quæ producuntur.

28. Regula.

Peregrina ferè libera sunt, nisi apud Græcos habeant ε, ο, η, aut ω, etsi neque hæc scriptura semper Quantitati præjudicat: ut *Abel, Daniel, Jacob, Loth & similia.*

Nota.

Quæ in Regula 24. & 26. de terminatione US dicta sunt, etiam de Substantivis in A aut UM intelligi debent.

29. Re-

29. Regula.

De resolutione Compositi.

Composita retinent Quantitatem simplicium, nisi vel Positio vel Vocalis proximè sequens quantitatem variet: ut,

Avoco – u u *prodes* – u *Quare* – –

Excipe:

Quædam voces in Compositione Quantitatem mutant.

1. Corripiuntur in posteriore parte Compositionis hæc sequentia, quæ à longis orta sunt:

Déjero, Pejero, à Juro – u.

Perfidus, Perfida à Fidus – u.

Innubus, Pronubus à Nubo – u.

Malédicus, causidicus, veridicus, fatidicus à Dico.

Nihilum ex Ne & Hilum – u.

Agnitum, Cognitum a Notum – u.

Semisopitus antepenultimam corripit, à *Sopio* vel *sopitus* primâ longâ.

Connubium à Nubo secundam habet communem.

2. Supinum *Ambîtum*, & Participium *Ambitus* ex *itum*, producunt penultimam.

Sed nomen *Ambitus & Ambitio* i corripiunt.

Quid notandum est de priore parte Compositionis?

1. Si prior Compositionis pars in A desinit, producitur: ut,

Averto, contradico, trado, trano, quare, quapropter, quacunq; quatenus, nequaquam.

2. Si prior Compositionis pars in E, I, U, vel Y desinit, extra Præpositionem corripitur: ut,

Nefandus, nefastus, nefarius, selibra, hujuscemodi.
Fatidicus, bijugus, bipes, tripes, fidicen, utiq; neutiquam, siquidem.
Quadrupes, Grajugena, ducenti, dupondius, Polydorus.

Excipiuntur:

1. E producunt: *Trevir, veneficus, videlicet: Nequā, nequitia, nedum, nequaquam, nequicquā.*

2. Composita verbi *Facio* cum verbis secundæ conjugationis, E prioris partis commune habent: ut,

Liquefacio, Calefacio, Tepefacio.

3. I Mobile per casus producitur: ut, *Quilibet, cuilibet, utriq; pleriq; tantidē, quanticunq; &c.*

4. I Producunt: *Ibidem, ubiq; utrobiq; ubilibet, scilicet, ilicet, vipera, siqua, siquando, sive*: Et ex *Dies* composita: ut, *Biduum, triduum, pridie, postridie, pridianus, meridies, meridianus, meridior.*

Sed communia sunt: *Quotidie, quotidianus, ubivis, ubicunq; meliphyllium.*

Idem Masculinum est longum: Neutrum verò breve.

Per quod quis peccat, per idem punitur & idem.
Nil prodest, quod non lædere possit idem. 5. Si

5. Si prior Compoſiti pars in Latinis dictionibus in O deſinit, producitur: ut,

Quandoq́ᵹ, quandocunq́ᵹ, alioqui, utrobiq́ᵹ, introduco, retroverſus, controverſus, primogenitus.

Excipiuntur brevia: *Hodie, quandoquidem, omitto, operio, ſacroſanctus.*

In Græcis ubi Omicron eſt, corripitur: ut, *Argonauta, bibliopola, chirographum, œconomus, carpophorus.*

Sed ω producitur: ut, *Lagopus, Minotaurus. Geometra* per *o* & *ω* ſcribi poteſt.

Bardocucullus eſt Græcolatinum, habet omicron.

6. Præpoſitiones in Conſonantem exeuntes corripiuntur, niſi Poſitio impediat: ut, *Ineo, ſubeo, ciſalpinus, circumeo.*

7. Præpoſitiones Monoſyllabæ in vocalem exeuntes producuntur: *ut, Depono, eveho, profero, proconſul, divido, dijudico, ſejungo, ſecurus, veſanus, vecors,* quæ etiam nonnulli per *væ* ſcribunt.

Excipe:

1. RE breve eſt, *exceptis Rejicio, Rejecto*, & Imperſonale *Refert* pro *utile eſt*, producitur.

2. DI in *Dirimo & Diſertus* corripitur: in aliis producitur.

3. PRO in ſequentibus breve eſt: *Procello is, procella, profanus, profari, profectò, profeſtus,*

proficiscor, profiteor, profugus, profundus, prohibeo, pronepos, protervus.

Sed *professus* tamen est anceps.

4. Græca ex προ composita corripiuntur: ut, *Propheta, propola, prologus*, sed *propino* commune est.

Si tamen in his quoq; *Pro* ut latina Præpositio sumitur, etiam produci potest.

5. Pro est anceps in his sex verbis: *Procumbo, procuro, profundo, propago, propello, propulso.*

Quibus adde & Nomen *Propago* quacunq; significatione.

REGULÆ SPECIALISSIMÆ.

De ultimis Syllabis.

1. Regula.

Monosyllaba in vocalem exeuntia producuntur: ut, *A, ah, e, de, me, te, se, pro, proh, do, da.*

Excipe:

Encliticæ, *Que, ne, ve,* & syllabicæ adjectiones, *ce, te, pte,* corripiuntur.

2. Regula.

Nomina Monosyllaba producuntur: ut, *Lac, sal, par, cum compositis compar, impar &c.*

Quibus adde: *Quin, sin, en, non, cur.*

Excipiuntur:

Brevia sunt: *Fel, mel, vir, cor, vas vadis, os ossis.*

A & E.

A & E.

A & E corripiuntur: ut,
Mensa, poëma, cepe, cubile, antè.

Excipiuntur:

1. In A indeclinabilia producuntur: ut, *Antea, contrà, triginta, quadraginta*, cum similibus, *quæ tamen Numeralia interdum etiam brevia reperiuntur.*

Sed E*ja, ita & quia* brevia sunt.

2 Vocativi à Masculinis in AS primæ aut tertiæ Declinationis producuntur: ut,
O Ænea, Atla, Calcha, Palla. Sic per cæsuram etiam *ô Anchisa, & similia.*

3. Ablativi primæ & quintæ declinationis in A vel E producuntur: ut,
Ænea, die, re, fide.

Sic & Composita *Hodie, pridie, postridie, quare.*

Quibus additur & *Fame.*

4. Græca in E primæ declinationis producuntur: ut, *Anchise, Chreme, Lache, Euterpe.*

Quibus adde: *Mele, tempe, cete.*

5. Imperativi singulares primæ & secundæ Conjugationis producuntur: ut, *Ama, doce.*

Sed sæpè etiam *Cave* ab antiquo *Cavo* & Composita *videsis, valedico*, corripiuntur.

6. Adverbia in E facta ex Nominibus secundæ declinationis producuntur: ut,

Doctè, valdè, bellè, pulchrè, optimè, maximè,
Præter *Bene & Malè* brevia.
7. *Ferè, fermè & ohe* producuntur.

I & U.

I & U producuntur: ut,
Gummi, sinapi, cornu.

Excipiuntur :

1. Indifferentia sunt: *Mihi, Tibi, Sibi, Ubi, ibi, & Uti* Adverbium, cum compositis *Ubicunque, ubivis, sicubi, sicuti, veluti &c.*

Sed *Ibidem* & *Ubique* longa sunt: *Utique* breve.

2. *Nisi & Quasi* corripiuntur: Sic & *cui* disyllabum.

Rarò etiam longa reperiuntur: *Nisi* apud Statium l. 4. c. 3. & *Quasi* apud Lucretium.

3. Vocativi Græci in I breves sunt: ut, *ô Alexi, Pari, Daphni.*

4. Græci Dativi tertiæ Declinationis corripiuntur: ut, *Palladi, Lampadi.*

Sed interdum tamen etiam Latino more producuntur, si præsertim idem nomen etiam in prima declinatione flectatur: ut, *Pylades æ, & Pylades is, i.*

5. Antiquum *Indu*, pro *In*, breve est: ut,
Indu pavimento atque emblemate vermiculato. Lucil.

O.

In O communia sunt: ut,

Amo,

Amo, Leo, Virgo, Duo, Ambo, Ego.

Excipiuntur:

1. Dativi & Ablativi in O producuntur: ut, *Domino, servo.*

Sed *Gerundia* Communia sunt, etsi rectiùs quidem producuntur.

2. In O Adverbia à Nominibus orta producuntur: ut,

Subitò, meritò, multò, tantò, quantò.

Quibus addi possunt: *Adeò, Ideò, Ultrò & Ergò* pro causa.

Sed brevia sunt: *Modò, Dummodò, Postmodò, Quomodò, & Cedò* pro *dic* aut *porrige.*

Profectò & Verò interdum etiam brevia leguntur.

3. Græca in O, quæ habent ω, producuntur: ut,

Echo, Alecto, Sappho, Clio, hujus Androgeo.

Si tamen in ων desinentia, Literam N Latinè abjiciunt, O sæpius corripiunt: ut,

Agamemno, Plato, Cicero, Ego, Leo.

Nota. *Ego, illicò, imò, serò, citò, Scio, Nescio* meliùs corripiuntur.

Y.

Y in fine corripitur: *ut, Moly, ô Tethy.*

C.

In C longa sunt: ut, *Dic, Duc, Hac, Illuc.*

Excipe:

1. *Fac* Indifferens est, rectiùs tamen corripitur.

2. *Hic* Pronomen indifferens est, Adverbium longum.

3. *Nec & Donec* brevia sunt.

B, D, T, L, M, N, R.

B, D, T, L, M, N, R, corripiuntur: ut, *Ab, ad, et, animal, Daphnin, Tethyn, Capyn, Ilion.*

More lupi clausas circumeuntis oves. Ov.

Excipiuntur:

1. *Peregrina* ferè producuntur, præsertim si apud Græcos longa vocalis sit: ut, *Job, Lot, Nabal, Daniel, Israël, Simson.*

Nota. *Viden', Nostin'*, corripiuntur: *Nemon', & Ten'*, producuntur.

2. Græci Nominativi Masculini & Fœminini in AN, EN, IN, ON, & YN producuntur. ut, *Titan, Pæan, Trœzen, Hymen, Salamin, Delphin, Pandion, Actæon, Phorcyn*, Quibus adde *Lien.*

Sed *Hymen* Catullus etiam corripuit.

3. Casus Attici in ON producuntur: ut, *Androgeon.* Græcè Ἀνδρόγεων.

Accusativus Græcus Masculinus in AN producitur: ut, *Ænean.*

Sed Fœmininus pro naturâ Nominatvi suî vel longus vel brevis est: ut, *Electran, Majan* v.

3. Græ-

3. Græca in ER imparisyllaba producuntur: ut, *Aer*, *æther*, *character*, *crater*, *Iber*, *sic & sphinter*.

Sed *Celtib.r* à Martiale corripitur.

A S.

In AS longa sunt: ut,

Bonitas, *Anas*, *Mensas*, *Amas*.

Excipiuntur:

In AS per *adis* declinata corripiuntur: ut, *Vas vadis*, *Pallas*, *Arcas*, *Plejas*.

2. Accusativi Græci in AS tertiæ declinationis corripiuntur: ut, *Troas*, *Hectoras*, *Arcadas*, *Rhetoras*.

ES & OS.

In ES & OS longa sunt: ut,

Doces, *Ames*, *Patres*, *Arbos*, *Hones*, *Dominos*.

Excipiuntur:

1 Brevia sunt in ES tertiæ Declinationis, quæ penultimam Genitivi *imparisyllabi* corripiunt: ut, *Seges*, *Teges*, *Præses &c.*

Præter *Ceres*, *Aries*, *Paries*, *Abies & Pes* cum compositis: ut, *Bipes*, *Tripes*, *Quadrupes &c.*

2. Præpositio *Penes*, brevis est.

3. Es à Verbo *Sum* breve est: ab *Edo* longum.

4. Brevia sunt: *Os ossis*, *Exos*, *Compos*, *Impos*.

5. Græca in ES & OS è sua vocali cognoscuntur.

Hinc brevia sunt Græca singularia Neutra in ES, & pluralia tertiæ declinationis non contracta:

tracta: ut, *Cacoëthes, Hippomanes: Arcades. Troes, Atlantides, Plejades, Pierides,* item *Delos. Chaos, Pallados, Tethyos &c.*

IS.

In IS brevia sunt: ut,
Ignis, Funis, Matris, Patris, legis.

Excipiuntur:

1. Dativi & Ablativi in IS producuntur: ut, *Mensis, Dominis, Nobis, Vobis.*

2. In IS declinata per INIS, ITIS & ENTIS producunt ultimam Nominativi: ut,
Salamis inis, Delphis inis, Samnis itis, Simois entis, Opois entis.

3. Verba Quartæ Conjugationis producunt secundam singularem Præsentis indicativi: ut, *Audis, Abis.*

4. *Vis, Sis, Velis,* cum compositis producuntur: ut,
Quamvis, Quidvis, Adsis, Possis, Malis, Nolis.

5. Adverbia *Foris & Gratis* longa sunt.

6. RIS ultima Futuri Conjunctivi est anceps: ut, *Si dixeris, æstuo: sudat.* Juvenal. sat. 3.
Dixeris egregiè. Hor.
Da mihi te placidũ, dederis in carmina vires. Ov.
Miscueris elixa simul. Hor. l. 2. sat. 2.

US.

US breve est: ut,

Annus,

Annus, Corpus, Patribus, Fructus, Secus, Tenus.

Excipiuntur:

1. In US tertiæ declinationis, quæ U in obliquis retinent, producuntur: ut,

Tellus uris, Virtus utis, Salus utis.

Præter *Pecus pecudis, Intercus utis, Ligus uris.* Ab Horatio etiam Fœmininum *Palus* correptum est.

2. Quartæ Declinationis Genitivus singularis, N. Ac. & V. plurales in US producuntur: ut,

Hujus Fructus, Hi Fructus, Hos Fructus, ô Fructus.

3. Græca in ȣς producuntur: ut, *Jesus, Amathus, Opus, Panthus, Sappho, Sapphus*: & à πȣ̀ς composita: ut, *Tripus, Melampus.*

Ex quibus tamen duo: *Oedipus & Polypus,* etiam corripiuntur, *quando secundæ Latinorum Declinationis sunt. Nam & Æoles apud Græcos πόλυπος scribunt.*

Polypus dicitur etiam πώλυψ πώλυπος per ω apud Athæneum l.8. Ideò Horatius primam vocalem produxit Epod. Od. 12. Et l. 1. sat. 3.

Y S.

YS per Y breve est: ut, *Chelys, Capys.*

Excipiuntur:

In YS, quæ & in YN desinunt, producuntur: ut, *Phorcys & Phorcyn.*

Tethys pro uxore Oceani ſeu Neptuni, Virgilius Cæſuræ beneficio produxit.

DE VERSIBUS.

Quid eſt Verſus?

Eſt legitima compoſitio Pedum, modo numeroq; definita.

Vocatur alio nomine *Metrum.*

Unde dicitur Verſus?

A Vertendo, quòd ſæpè ſit vertendus, priuſquam rectè conſtituatur.

Quæ de Verſibus præcipuè ſunt præcognoſcenda?

Regio, Pes metricus, & Scanſio.

Quid eſt Regio metrica?

Eſt pars Verſus, certo Pede conſtans.

Quot Regiones habet quilibet Verſus?

Alii plures, alii pauciores habent Regiones, nec poteſt in genere aliquis numerus definiri.

Quid eſt Pes Metricus?

Eſt certa ſyllabarum, numero & quantitate variatarum, conſtitutio.

Meta-

Metaphora ſumpta eſt ab animalibus, quæ propriè pedibus incedunt, dum eos modò tollunt, modò deponunt.

Quotuplices ſunt Pedes?

Triplices: Alii ſunt *Diſyllabi.*
Alii *Triſyllabi.*
Alii *Tetraſyllabi,* qui ex prioribus ſunt Compoſiti.

Quot ſunt Pedes Diſyllabi?

Quatuor:

1. Pyrrhichius υυ *qui conſtat duabus brevibus ſyllabis: ut,* Deus.

2. Spondeus - - *qui conſtat duabus longis: ut,* Felix.

3. Jambus υ - *qui conſtat duabus ſyllabis, priore brevi, poſteriore longâ: ut,* Amans.

4. Trochæus - υ *qui conſtat duabus ſyllabis, priore longâ & poſteriore brevi: ut,* Annus.

Quot ſunt Pedes Triſyllabi?

Octo, ex quibus uſitatiores ſunt:

1. Dactylus - υ υ *qui conſtat tribus ſyllabis, primâ longâ, & poſterioribus duabus brevibus: ut,* Dicite.

2. Anapæſtus υ υ - *qui conſtat tribus ſyllabis, prioribus duabus brevibus, & ultimâ longâ:* ut, Animans.

3. Mo-

3. Molossus --- *qui constat tribus syllabis longis: ut,* Contendunt.

4. Tribrachys ᴗᴗᴗ *qui constat tribus syllabis brevibus: ut,* Dominus.

Quot Pedes sunt Tetrasyllabi?

Sedecim: Ex quibus usitatiores sunt:

1. Proceleusmaticus ᴗᴗᴗᴗ *qui constat quatuor syllabis brevibus: ut,* Hominibus.

2. Choriambus -ᴗᴗ- *qui constat quatuor syllabis, prima & ultima longa, & intermediis duabus brevibus: ut,* Omnipotens.

Quid est Scansio?

Est Mensuratio versus, Pedum enumeratione constans.

Quæ in Scansione præcipuè spectanda sunt?

Cæsuræ & Elisiones.

Quid est Cæsura?

Est decora dictionis in versu per Pedes intersectio, ita ut ultima syllaba novum pedem inchoet: ut,

Ille la- ᴗᴗ tus nive - ᴗᴗ um mol -- li ful -- tus hya- ᴗᴗ cintho --

Dicitur à cædendo, Græcè τομή id est, sectio. Quia secatur dictio in duas partes, quarum prior est finis ante-

antecedentis pedis, posterior est initium sequentis.

Quid efficit Cæsura?

Duo potissimùm.

1. Versui conciliat gratiam & suavitatem, voces inter se per pedes aptè connectendo.

2. Tanta est vis & gratia Cæsuræ, ut per eam haud raro breves syllabæ, si in eas incidat, produci possint, præsertim initio tertiæ regionis: ut,

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

Dic mihi versum, in quo nulla est Cæsura.

Nuper, quidam, doctus, cœpit, scribere, versus.

Quid est Elisio in Versu?

Est vocalis sive solius, sive cum litera M, in fine dictionis, sequente alia vocali vel diphthongo, inter scandendum in versu dissimulatio.

Quotuplex est Elisio metrica?

Duplex: Synalœphe & Ecthlipsis.

Quid est Sinalœphe?

Synalœphe est, cum Vocalis vel Diphthongus in fine dictionis, propter vocalem vel Diphthongum initialem sequentis dictionis, in scandendo dissimulatur: ut,

Non facile est æquâ commoda mente pati.

Ubi in scansione legendum : *Non facil' est.*

Quid est Ecthlipsis?

Ecthlipsis est, qua litera M in fine unà cum vocali præcedente, propter vocalem vel Diphthongum initialem sequentis dictionis, in scandendo dissimulatur : ut,

Audendum est : Fortes adjuvat ipse Deus.

Hîc in scansione legimus *Audend' est.*

VERSUS.

M necat Ecthlipsis, ceu vocalem Synalœphe.

Quid oppositum est Elisioni metricæ?

Hiatus metricus.

Quid est Hiatus metricus?

Est, quando Vocalis vel Diphthongus, aut cum eis litera M in fine dictionis, inter scandendum in versu non eliditur, etiamsi alia vocalis vel Diphthongus proximè sequatur: ut,

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam. Virg.

[illegible]*cus pecori, & lac subducitur agnis.* Virg.

[illegible]*ta ferè sunt millia militum octo.* Enn.

[illegible]bi concessus est Hiatus metricus?

[illegible]ticis potissimùm exclamationibus [illegible]abis : ut,

O uti-

O utinam tunc, cum Lacedæmona classe petebat,
Obrutus insanis esset adulter aquis! Ovid.
O & præsidium & dulce decus meum! Hor.
Heu ubi pacta fides? Ovid. 3. Fast.

Quid fit ex Versibus?

Carmen.

DE CARMINUM GENERIBUS.

Quid est Carmen?

Est concinna Versuum in unum systema congeries.

Quomodo differunt Carmen & Versus?

Differunt ut Totum & Pars. Carmen enim ut totum constat ex multis versibus, tanquam partibus.

Quot sunt usitatiora Genera Carminum?

Novem: Hexametrum, Elegiacum, Adonicum, Anapæsticum, Sapphicum, Phalæcium, Choriambicum & Glyconicum.

Græcè Genera Carminum vocantur Μέτρα

DE HEXAMETRO.

Quid est Genus Carminis Hexametrum?

Est metrum, quod constat solis Versibus Hexametris.

Dicitur alio nomine *Heroicum*, quòd eo plerunq; Heroum fortia facta descripta sunt.

Quid est Versus Hexameter?

Est Versus, qui constat sex metris seu regionibus, quarum *priores quatuor* sine discrimine recipiunt *Spondeum* vel *Dactylum*: *Quinta* ferè solum Dactylum: *Sexta* Spondeum vel Trochæum.

Ultima enim *syllaba* in quovis Versu est libera, id est, longa & brevis potest adhiberi.

Forma Versus Hexametri hæc est.

1.	2.	3.	4.	5.	6.
- -	- -	- -	- -		- -
-υυ	-υυ	-υυ	-υυ	-υυ	-υ

Casta Deus mens est, castâ vult mente vocari.

Sempérne Quinta regio Dactylum habet?

Quinta regio in Hexametro nonnunquam *Spondeum* habet, unde *Versus Spondaicus* dicitur, quando videlicet rei alicujus gravitas & amplitudo; vel ingens mœror, animiq; angor, vel aliud simile declaratur: ut,

Chara Deûm soboles, magnum Jovis incrementū.
Constitit, atq; oculis Phrygia agmina circūspexit.

Quodnam est præcipuum ornamentum Versus Hexametri?

Cæsura.

Ubi

Ubi oportet Hexametrum habere Cæsuram?

Nisi Hexameter in *tertiâ* vel *quarta* regione Cæsuram habet, planè ineptus & nullius ingenii est Versus. Quò verò plures Cæsuras habet, eò venustior & jucundior est: ut,

Omnia conando docilis solertia vincit.

Hic in 3. & 4. regione Cæsura est.

DE ELEGIACO.

Quid est Genus Elegiacum?

Est metrum, in quo versus Hexameter & Pentameter alternatim ponuntur: ut,

Donec eris felix, multos numerabis amicos;
Nullus ad amissas ibit amicus opes.

Quid est Versus Pentameter?

Est Versus, qui habet quinque regiones, & dividitur in duo Hemistichia, quorum Prius in duabus regionibus admittit *Spondeum* vel *Dactylum*, remanente syllaba longâ: Posterius recipit *duos Dactylos*, itidem remanente unâ syllabâ longâ vel brevi.

Forma Pentametri est hæc?

1.	2.	5.	3.	4.	5.
- -	- -	-	- uu	- uu	-
- uu	- uu				u

A cane non magno sæpè tenetur aper.

Unde vocatur Elegiacum?

A particula dolentis ἒ ἒ, id eſt, heu heu, & λέγω dico. Nam *Elegia* lugubre carmen olim ſignificabat, quo *Epicedia* plerumque ſcripta fuerunt. Sed poſteà cœpit ad quaſvis materias applicari.

Quid in Pentametro potiſſimùm obſervandum eſt?

1. In Pentametro *Prius Hemiſtichium dictionem finiat.* Vitioſa enim eſt utriuſq; Hemiſtichii in eâdem voce connexio: ut,

Hæc quoq; noſtræ ſententia mentis erat.

2. Neutrum Hemiſtichium commodè deſinit in Monoſyllabum, niſi vel aliud Monoſyllabum præcedat, vel Eliſio aſperitatem pronunciationis mitiget: ut,

Magna tamen ſpes eſt in bonitate Dei.
Præmia ſi ſtudio conſequor iſta, ſat eſt.
Invitis oculis litera lecta tua eſt. Ovid.

3. In fine Pentametri abſtinendum eſt à Participiis in NS, & dictionibus triſyllabis.

Nota. *Hexameter cum Pentametro* perfectam ſententiam, vel certè integrum Colon abſolvere debet.

DE ADONICO.

Quid eſt Genus Adonicum?

Eſt metrum, quod conſtat ſolis Verſibus Adonicis.

Dici-

Dicitur ab *Adonide filio Regis Cypriorum*, in cujus threnis hoc genere utebantur.

Quid est Versus Adonicus?

Est Versus duabus constans regionibus, quarum prior habet *Dactylum*, posterior *Spondeum*: ut,

1. 2. *Sis mihi præsens*
-uu -- *Rebus in arctis,*
-u *Christe redemptor.*

DE ANAPÆSTICO.

Quid est Genus Carminis Anapæsticum?

Est metrum, quod primis duabus regionibus admittit *Anapæstum* vel *Spondeum*, tertio loco tantùm *Anapæstum* cum syllaba residua.

Forma est hæc:

1. 2. 3.
uu- uu- uu- -
-- -- u

Jam mœsta quiesce querela,
Lacrymas suspendite matres &c.

DE SAPPHICO.

Quid est Genus Sapphicum?

Est metrum, quod constat Versibus Sapphicis, ubi ferè tertio cuiq; annectitur Adonicus. Dicitur à *Sappho* Poëtria Lesbia inventrice.

Quid est Versus Sapphicus?

Est Versus quinq; constans regionibus, quarum prima recipit *Trochæum*, secunda *Spondeum*, tertia *Dactylum*, quarta & quinta rursus *Trochæum*.

Forma Versus *Sapphici* est hæc.

1.	2.	3.	4.	5.
-υ	--	-υυ	-υ	-υ
				--

Nemo confidat nimium secundis.
Nemo desperet meliora lapsus.

Quæ est præcipua virtus Versus Sapphici?

Habere Cæsuram initio tertiæ regionis.

Da Exemplum Sapphici Generis.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti; caret invidendâ
Sobrius aulâ.

DE PHALÆCIO.

Quid est Genus Phalæcium?

Est metrum, quod constat Versibus Phalæciis.

A *Phalæco* autore dicitur.

Quid est Versus Phalæcius?

Est Versus quinque habens regiones, quarum

rum prima recipit *Spondeum*, secunda *Dactylum*, reliquæ tres habent *Trochæum*.

Ejus forma est hæc :

1.	2.	3.	4.	5.
- -	-uu	-u	-u	-u

Audit cuncta DEUS videtq́ justus.

Nota. 1. In *prima* regione etiam *Trochæus* aut *Iambus* locum habere potest : ut,

Arida modò pumice expolitum,
Meas esse aliquid putare nugas.

2. Catullus etiam in *secunda* regione pro *Dactylo* interdum usurpat *Spondeum* : ut,

Oramus si - - fortè non molestum est.

Alio nomine vocatur *Hendecasyllabum*, ab undecim syllabarum numero.

DE IAMBICO.

Quid est Genus Iambicum?

Est metrum, quod constat Versibus Iambicis.

Quid est Versus Iambicus?

Est Versus, qui locis *imparibus* Iambum, Spondeum, rariùs Dactylum, Anapæstum aut Tribrachyn : *Paribus* autem Iambum aut Tribrachyn recipit.

Unde dicitur Iambicus?

A pede *Iambo*, qui in hoc Genere maximè domi-

dominatur. Et quò plus Iamborum habet, eò venuſtior eſt Verſus.

Quot ſunt Species Verſus Iambici?

Tres: Quaternarius, Senarius & Octonarius.

Quid eſt Iambicus quaternarius?

Qui quatuor conſtat regionibus ſeu pedibus: ut,

O lux beata Trinitas,
Et Principalis Unitas &c.

Quid eſt Iambicus ſenarius?

Qui ſex conſtat regionibus ſeu pedibus: ut,

Obſequium amicos; Veritas odium parit.
Fortuna multis parcere in pœnam ſolet.

Interdum in ſexta regione eſt *Spondeus* vel *Trochæus*. Et tunc verſus illi appellantur *Scazontes* vel *Choliambi* i.e. quaſi *claudicantes*; & in quinta regione ſemper *Iambum* poſtulant.

Quid eſt Iambicus octonarius?

Qui octo conſtat regionibus ſeu pedibus: ut

Pecuniam in loco negligere maximum interdum eſt lucrum.

DE CHORIAMBICO.

Quid eſt Genus Choriambicum?

Eſt metrum, quod conſtat Verſibus Choriambicis.

Dicitur & *Aſclepiadeum*, ab *Aſclepiade* celebratore.

Quid

Quid est Versus Choriambicus?

Est versus, quatuor constans regionibus, quarum prima recipit *Spondæum*, Secunda & tertia *Choriambum*, quarta *Iambum*, vel *Pyrrichium*:

Ejus forma est hæc:

1. 2. 3. 4.
- - | - ∪ ∪ - | - ∪ ∪ - | ∪ -
∪ ∪

Mæcenas atavis edite Regibus. Hor.

DE GLYCONICO.

Quid est Genus Glyconicum?

Est metrum, quod constat Versibus Glyconicis.

Dicitur à *Glycone* autore vel celebratore.

Quid est Versus Glyconicus?

Est Versus, qui constat Spondeo & duobus Dactylis.

1. 2. 3.
- - | - ∪ ∪ | - ∪ ∪

Tandem regia nobilis
Antiqui Genus Inachi,
Fratrum composuit minas. *Seneca in Thyeste.*

DE FIGURIS GRAMMATICIS.

Quid est Figura Grammatica?

Est

Est forma loquendi aut scribendi arte aliqua novata.

Quotuplices sunt Figuræ Grammaticæ?

Quadruplices: *Orthographicæ, Prosodicæ, Etymologicæ, & Syntacticæ.*

DE FIGURIS ORTHOGRAPHICIS.

1. PROSTHESIS est additio literæ vel syllabæ ad principium dictionis: ut, *Gnatus pro natus.*

2. APHÆRESIS est ablatio literæ vel syllabæ à principio dictionis: ut, *Temnere pro contemnere.*

Etsi apud Latinos quidem vix usurpentur hæ duæ Figuræ.

3. EPENTHESIS est additio literæ vel syllabæ in medio dictionis: ut, *Relligio pro religio.*

4. SYNCOPE est ablatio literæ vel syllabæ in medio dictionis: ut, *Dixti pro Dixisti.*

5. PARAGOGE est additio literæ vel syllabæ ad finem dictionis: ut, *Dicier pro Dici.*

6. APOCOPE est ablatio literæ vel syllabæ à fine dictionis: ut, *Tun' pro Tune.*

Aliquando *Syncope & Apocope* concurrunt: *ut, Vin' pro Visné? Audin' pro Audisné?*

7. SYNÆRESIS est contractio duarum syllabarum in unam: ut, *Negotî pro negotij.*

8. DIÆ-

8. DIÆRESIS est distractio unius syllabæ in duas: ut, *Aulai pro aulæ, Dissoluenda pro dissolvenda.*

9. METATHESIS est transpositio literæ vel syllabæ ab ordinaria sede ad aliam: ut, *Tymbre pro Tymber, nisi Vocativum esse malis à Tymbrus,* Sic *Ipræ* pro *præi.*

10. ANTITHESIS seu Antistœchon est *literæ* pro *litera* positio: ut, *Olli pro illi, Optumus pro Optimus.*

11. TMESIS est dissectio vocis compositæ: ut, *Quæ me cunq; vocant terræ:* Pro *quæcunq;*. *Septem subjecta trioni,* pro *Septentrioni.* 3. Georg.

VERSUS.

Prosthesis *apponit capiti: Sed* Aphæresis *aufert.*
Syncopa *de medio tollit: Sed* Epenthesis *indit.*
Aufert Apocope *finem: Sed dat* Paragoge.
Dicitur è binis conflare Synæresis *unam.*
Rursus at in binas difflare Diæresis unam.
Litera si legitur transposita, Metathesis *extat.*
Antithesin *dices, aliam si litera mutat.*
Compositæ vocis dissectio Tmesis *habetur.*

DE FIGURIS PROSODICIS.

ECTASIS seu Diastole est productio syllabæ naturâ brevis: *ut, Priamides* - ∪∪ -

SYSTOLE est correptio syllabæ naturâ longæ: ut,

Obstu-

Obstupui steteruntq; comæ, & vox faucibus hæsit.
Matri longa decem tulerunt fastidia mensæ. Virg.

SYNIZESIS est coactio duarum syllabarum in unam: ut, *Alveo duabus syllabis.*

VERSUS.

Ectasis *Italiam producit corripiendam.*
Corripit, ut steterunt, ducendam Systola *vocem.*
Bina Synicesis *vocalia cogit in unum.*

DE FIGURIS ETYMOLOGICIS.

ANTIMERIA est, cùm una pars orationis pro altera ponitur: ut,
Scire tuum, id est, *scientia tua.*
Torvum videt, pro *torvè.*
Agnosco libens, pro *libenter.*

ENALLAGE seu Heterosis dicitur, cùm una dictio pro altera ejusdem Partis ponitur, mutatis tantùm Accidentibus: ut,
Teucri pro *Trojani.*

Frequens est *Enallage*, cum in narrando Infinitivo pro Imperfecto Indicativi utimur: ut *Facile omnes perferre ac pati*, pro *perferebat ac patiebatur.*

Si *Casus* pro *Casu* ponitur, peculiari nomine ANTIPTOSIS vocatur: ut,
Urbem, quam statuo, vestra est, pro, urbs.

DE FIGURIS SYNTACTICIS.

Ellipsis.

Ellipsis est, cum vox aliqua ad integrum sensum constructionis necessaria, eleganter omissa est: ut,
Ubi ad Dianæ (templum) *veneris.*
Quarto (die ante) *Calendas Januarias.*
Homines intelligimus, scil. nos homines.

In Conjunctionibus Copulativis vocatur Asyndeton: ut, *Genus, ætas* (et) *eloquentia propè paria fuerunt.*

Pleonasmus.

Pleonasmus est, cùm aliquid in oratione eleganter abundat: ut,
Ubinam gentium sumus: Pisciculi minuti.
Sic ore locuta est.

In Conjunctionibus Copulativis vocatur Polysyndeton: ut,
Ego pol quoq; etiam timida sum. Ter.
Chloreaq; Sibarimq; Daretaq; Tersilochumq;.

Synthesis.

Synthesis est, cùm constructio ad intellectum, non ad vocem, refertur. Estq; vel *Numeri* vel *Generis.*

Syn-

Synthesis Numeri est, cum Nomini collectivo singulari subjicitur Verbum vel Adjectivum plurale: ut,

Maxima pars ab equitibus in flumen acti, id est plurimi.

Synthesis Generis est, cùm Substantivo qualicunque Adjectivum diversi generis subjicitur, quod ad intellectum, non ad vocem refertur: ut, *Nulla quadrupes*. scil. bestia.

Sola bubo, scil. *avis*. *Thessalus Ossa*, scil. mons.

Eunuchus sua, scil. fabula. *Ubi illic scelus est, qui me perdidit?* Ter. i. e. Ille scelestus.

Zeugma.

Zeugma fit, cùm diversis substantivis Verbum vel Adjectivum additur, quod cum propiore consentit: ut,

Sociis & Rege recepto.

Hîc illius arma, hîc currus fuit.

Illud autem commune Verbum aut Adjectivum, vel additur in principio, vel in medio, vel in fine. Hinc alii Zeugma triplex faciunt: Prozeugma, Mesozeugma & Hypozeugma.

Synecdoche.

Synecdoche est, cùm Accusativus adjicitur Adjectivis aut verbis Passivis & absolutis, partem aliquam significans: ut,

Albus dentes. *Doleo caput.*

Exple-

Expleri mentem nequit.

Qui Accusativi Latinè per Ablativum aliàs efferuntur.

Pertinent huc & illa: *Crassa genus. Cætera Grajus. Id genus alia*, pro, ejus generis.

Hypallage.

Hypallage, est inversus ordo constructionis: ut,

Solstitium pecori defendite, pro,
Defendite pecus à solstitio.

Anastrophe.

Anastrophe est, quando Præpositio suo Casui postponitur: ut, *Italiam contra.*

PARTES ANNI.

Annus habet *Menses duodecim.*
Septimanas 52. & diem unum,
Dies 365. & sex horas.

QUATUOR ANNI TEMPORA.

Dat Clemens Hyemem: *dat Petrus* Ver *Cathedratus:*
Æstuat *Urbanus:* Autumnat *Bartholomæus.*
Manilius de iisdem:
Æstas *à Geminis:* Autumnus *Virgine surgit:*
Bruma *Sagittifero:* Ver *piscibus incipit esse.*

Æquinoctia anni & Solstitia.

Lampert, Gregori, *nox est æquata diei:*
Vitus, Lucia, *sunt duo Solstitia.*

Jejunia quatuor Temporum anni.

Post Crux, post Cineres, post Spiritus atq; Lucia,
Sit tibi in Angaria quarta sequens feria.

Tempus quadragesimale.

Mors Imperat Regibus, Odiosam Linguam Jucat Dominus.

Festa immobilia per totum annum.

Sex sunt ad Puri: *bis sex sunt usq;* Philippi:
Ad Jacobum *totidem: novem sunt ad* Michaelem.
Sex ad Martini: *Sex ad* Natalia Christi.
Adde dies octo, totus complebitur annus.

De præsagiis Lunæ.

Pallida *Luna pluit:* rubicunda *flat:* alba *serenat.*

JANUARIUS habet dies 31.

Circumcisio Magos *mittit ad Christi cunabula,*
Antonio Agnes *subit:* Paulus *fidem suscipit.*

FEBRUARIUS habet dies 28.

Se purgat Agatha, *nunc nudus prodibit* Valens,
Qui Ver nunciabit Petro, Matthiæ *sortem.*

MAR-

MARTIUS habet dies 31.

Martius Adriano *narrat atq;* Gregorio,
Quod Gertrudis & Benedictus Annunciant *virgini.*

APRILIS habet dies 30.

Aprilis Ambrosio *gaudet, cui martyr* Tiburtius
Prædicit mox futuram Marci *stationem.*

MAIUS habet dies 31.

Jacobus *crucẽ invenit, obtruncatur* Pancratius.
Jucundũ Ver jam præteriit, Urbano *redit Æstas.*

JUNIUS habet dies 30.

Nicodemus Bonifacio *fænum reportat:*
Vitus *segetem mox promittit* Baptistæ *atq;* Petro.

JULIUS habet dies 31.

Jam Maria *affert messem,* Cyrillus *metet,*
Ut Cererem in horrea Magdala Jacobusq; *reportent.*

AUGUSTUS habet dies 31.

Petrus *catenis stringitur, dum* Laurentius & Maria
Ad cœlos vocant cum Bartholomæo Johannem.

SEPTEMBER habet dies 30

Ægidi *lætus gaude,* Maria *nata est.* (Michael.
Crucem *exaltant cuncti,* Matthæo *volat obvius*

OCTOBER habet dies 31.

Remigi Franciſcum *mone, provideat hiemi.*
Gallus *jamdudum pluit,* Severinus *flat,* Simon *gelat.*

NOVEMBER habet dies 30.

Omnes *Sancti exultate, adest* Martinus *musto madidus:*
Eliſabeth *profert* Catharæ *amphor,* An.

DECEMBER habet dies 31.

Jam vellit barbam Niclas, *concipit Virgo* Lucia, *Oculos cæcat,* Thomas *credit,* Naſcitur *mundo* *DEUS.*

Nomina *ſeptem Planetarum* per literas initiales notata:

Poſt SIM, SUM ſequitur, ultima *Luna* ſubeſt.

Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna.

Duodecim ſigna Zodiaci.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libraq; Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.

Quatuor Venti Cardinales.

Aſper ab axe furit Boreas: *ruit* Eurus, *ab ortu:* Auſter *amat medium Solem,* Zephyruſq; *cadentem.*

Nume-

Numerus dierum cujuſque Menſis.

April *ter tenos :* Jun. Septemberq; November:
Uno plus reliqui : *viginti* Februus *octo:*
Ac ſi biſſextus fuerit, ſuperadditur unus.
Mat Mat dicatur, ſed feſtum non variatur.

Romanum Calendarium.

Prima dies Menſis cujusq; eſt dicta Calendæ,
Sex Nonas *Majus, October, Julius & Mars.*
Quattuor at reliqui : dabit Idus *quilibet octo,*
Inde dies alios omnes dic eſſe Calendas,
Quas retrò numerans dices à Menſe ſequente.

Exemplum ſit.

Aprilis habet dies 30. Nonas 4.

1. Calendis *Aprilis.*
2. *Quarto* } *Nonas vel Nonarum Aprilis.*
3. *Tertio* }
4. *Pridie* }
5. Nonis *Aprilis.*
6. *Octavo* } *Idus vel Iduum Aprilis.*
7. *Septimo* }
8. *Sexto* }
9. *Quinto* }
10. *Quarto* }
11. *Tertio* }
12. *Pridie* }

 13. Idi-

13. Idibus *Aprilis.*
14. *Decimo octavo*
15. *Decimo septimo*
16. *Decimo sexto*
17. *Decimo quinto*
18. *Decimo quarto*
19. *Decimo tertio*
20. *Duodecimo*

} *Calendas vel Calendarum Maij.*

21. *Undecimo*
22. *Decimo*
23. *Nono*
24. *Octavo*
25. *Septimo*
26. *Sexto*
27. *Quinto*
28. *Quarto*
29. *Tertio*
30. *Pridie.*

} *Calendas vel Calendarum Maij.*

Alterum Exemplum.

Majus habet dies 31. Nonas 6.

1. Calendis *Maij.*
2. *Sexto*
3. *Quinto*
4. *Quarto*
5. *Tertio*
6. *Pridie*

} *Nonas vel Nonarum Maij.*

7. Nonis

7. Nonis *Maij.*

8. *Octavo*		
9. *Septimo*		
10. *Sexto*		
11. *Quinto*	} *Idus vel Iduum Maij.*	
12. *Quarto*		
13. *Tertio*		
14. *Pridie*		

15. Idibus *Maij.*

16. *Decimo septimo*	
17. *Decimo sexto*	
18. *Decimo quinto*	
19. *Decimo quarto*	
20. *Decimo tertio*	
21. *Duodecimo*	
22. *Undecimo*	
23. *Decimo*	} *Calendas vel Calendarum Junij.*
24. *Nono*	
25. *Octavo*	
26. *Septimo*	
27. *Sexto*	
28. *Quinto*	
29. *Quarto*	
30. *Tertio*	
31. *Pridie.*	

mi [illegible] uczy [illegible] na
trych ksiąstkach się [illegible]
trze się [illegible] przewiązawszy
Dotawicz

Thomae Kawinski studiosi
scholae Soc[...]

Chri[...]


GR[...]

AD [...]
P[...]

GRamm[...]
Kunst [...]
Compendium[...]
theil.

Rex, ein K[...]
Fortis, e, st[...]
Dominus, ei[...]
Pag. 8. Pau[...]
Acer, scharff[...]
Celeber, ber[...]
Saluber, heil[...]
Campester, [...]
Pedester, zu [...]
Dexterus ve[...]
Memor, ein[...]

Christianus Casimirus Rixius.



Nomenclator

GRAMMATICUS.

AD M. RHENII COMPENDIUM pertinens.

GRammatica, ein Schreibkunst. *item* eine Kunst recht zu reden vnd zu schreiben.
Compendium ein kurtzer Begrieff. *it.* Nutz/Vortheil.

Pag. 6. De Nomine.

Rex, ein König. *Regina*, eine Königin.
Fortis, e, starck. *Doctus, a, um*, gelehrt.
Dominus, ein Herr. *Domina*, eine Fraw.
Pag. 8. Pauper, Arm. *Vetus*, alt.
Acer, scharff/ hurtig. *Alacer*, frisch/ frewdig.
Celeber, berühmbt. *Celer*, schnell.
Saluber, heilsam. *Volucer*, schnell/ behend.
Campester, im Felde. *Equester*, zu Roß/reisig
Pedester, zu fuß. *Satur*, satt *Pag. 9.*
Dexterus vel dexter, rechts/ zur rechten.
Memor, eingedenck. *Omnis* ein jeder.

Almus, ernehrend/ lieb. Pag. 10.
Pulcher, schön. *Locuples*, reich/ ansehnlich.
Sapiens, weise. *Solers*, klug/ gescheide.
Pag. 12. *Facilis*, leichte. *Agilis*, behende.
Gracilis, geschlang. *Humilis*, Niedrig.
Similis, gleich. *Fagus*, ein Buchbaum.
Difficilis, schwer. *Dissimilis*, vngleich.
Maledicus, lesterhafftig. *Benevolus*, günstig.
Malevolus, mißgünstig. *Magnificus*, herrlich.
Munificus, freygebig. *Honorificus*, ehrlich.
Mirificus, wunderbar. *Idoneus*, geschickt.
Bonus, gut/ fromb. *Malus*, böse.
Magnus, groß. *Parvus*, klein.
Multus, viel. *Plurimus*, am meisten.
Pag. 13. *Nequam*, böse/ schalckhafftig.
Vetus, alt. *Nuperus*, newlich/ new, frisch.
Imbecillis, *us*, schwach. *Maturus*, zeitig/ reiff.
Exterus, der draussen. *Exterior*, der weiter draussen.
Extremus & *Extimus*, der eusserste oder letzte.
Inferus, der drunten. *Inferior*, weiter drunten.
Infimus & *Imus*, der Vnterste.
Superus, der droben. *Superior*, der besser droben.
Supremus & *Summus*, der öberste oder höchste.
Posterus, der folgende. *Posterior*, weiter dahinden.
Postremus, der Letzte.

Inte-

Interior, der besser drinnen. *Intimus*, der geheimste

Citerior, besser disseits. *Citimus*, der nechste disseits.

Ulterior, der weiter drieben oder jenseit ist.
Ultimus, der Letzte/ der Eusserste.
Propior, näher *Proximus*, der nechste.
Proximior, noch näher.
Prior, der ehe/ der födere. *Primus*, der erste/ der föderste.

P. 14. *Deterior*, ärger *Deterrimus*, der ärgste.
Licentior, der jhm noch mehr macht nimpt / freventlicher/ muthwilliger.
Ocior, schneller/ geschwinder. *Ocissimus*, der geschwindeste/ schnelleste.
Inclytus, berühmbt *Inclytissimus*, der Berümbteste.

Invictus, vnvberwindlich/ *it.* vnvberwunden.
Novus, new. *Novissimus*, der jüngste/ der letzte.
Meritus, verschuldet/ verdienet *Sacer*, heilig.
Adolescens, *Adj.* jung. *Adolescentior*, noch jünger.

Juvenis, *Adj.* jung. *Junior*, noch jünger.
Senex, alt. *Senior*, noch älter.
Sinister, linck/ zur lincken Seiten/ *it.* Widerwertig. *Sinisterior*, besser zur Lincken.
Anterior, besser vorn.

Pag. 16. Vigil, Adj. wachend/ wacker.
Sed Vigil Subſtantivum, ein Wächter.
Pervigil, ſtets wachend. *Par, Adject.* gleich/ gerade.
Pauper, arm. *Puber*, Mannbar / mündig.
Uber, reichlich/ fruchtbar. *Sed Subſt.* Ein Euter.
Degener, vnartig. *Congener*, gleicher Art/ oder Geſchlechts.
Bicolor, daß zweyerley Farben hat.
Diſcolor, von mancherley Farben oder Bunt.
Verſicolor, das mancherley Farben hat.
Indecor, vngeſtalt/ heßlich/ *vel indécoris.*
Bicorpor, das zwene Leibe hat.
Tricorpor, das drey Leibe hat.
Memor, eingedenck. *Immemor*, vneingedenck.
Arpinâs, zur Stadt *Arpîn* gehörig.
Sed Subſt. Arpinâs, einer von *Arpîn*.
Noſtrâs, der vnſer/ vnſerer Rotte/ vnſer Landsmann.
Ales Adj. ſchnell/ *it.* der Flügel hat.
Sed Subſt. Ales, ein Vogel/ allerley Gevögel.
Dives, reich. *Hebes*, ſtumpff.
Præpes, hurtig/ ſchnell/ behend.
Perpes, ſtets / gantz durch. *Teres*, lang vnd rund.
Locuples, reich/ anſehnlich/ wol beſeſſen.

Hoſpes

Hospes, *Adj.* frembde. *Sed Subst.* Wirth oder Gast.
Sospes, gesund/ vnbeschedigt.
Superstes, der noch bey Leben ist.
Inquies, vnruhig/ *Adj. Sed Subst.* vnruhe.
Bipes, zweyfüssig *Tripes*, dreyfüssig.
Quadrupes, vierfüssig. *Cornipes*, Hornfüssig.
Compos, der eines dinges mechtig oder habhafftig ist.
Impos, der eines dinges nicht mächtig ist.
Intercus, das inwendig zwischen Fell vnd Fleisch ist.
Inops, Arm/ hülffloß *Solers*, klug/ gescheide.
Prudens, fürsichtig/ verständig. *Felix*, glückselig.
Supplex demütig/ zu fuß fallend. *Velox* schnell.
Redux, der gesund vnd frölich wieder kömpt.
Nequam, böse. *Frugi*, from/ nützlich/ gut.
Nauci, nichts werth. *Nihili*, nichtig.
Mancipi, eigen. *Ejusmodi*, *i. e. talis*, solcher Art.
Hujusmodi, solcher Art. *Cujusmodi*, welcher Art.
Quatuor, vier. *Quinq;*, fünff.
Sex, sechs. *Septem*, sieben. *Octo*, achte.
Novem, neun. *Decem*, zehen. *Centum*, hundert.
Mille, Tausent. *Tot*, so viel.
Totidem, eben so viel. *Quot*, wie viel.

Ali-

Aliquot, etliche. *Quotquot*, wie viel nur.
Particeps theilhafftig *Artifex*. künstlich.

p. 17.

Sed Substantivum Artifex, ein Künstler.
Rhenum, der Rhein/ *est Poeticum, idem quod Rhenus in prosâ.*
Comum ist eine Stadt in *Galliâ.*
Latium Welschland *aliàs Italia.*
Ligustrum Rheinweiden oder Beinhöltzlein/ *est frutex* eine Staude *Arma* Rüstung.
Bactra, orum, ist eine Landschafft in Scythien.
Susa, orum, ist eine Stadt in Persien.
Cythera, orum, ist eine Insel/ darin die Venus geehrt worden ist
Glycerium, ist ein Nam einer Weibsperson.
Ilion vel Ilium, das Schloß zu Troja.
Lesbon vel Lesbos, eine Insel im Aegeischen Meer
Abydon vel Abydos est nomen Urbis in Asiâ.
Liberi, Kinder. *Parisii, orum*, die Stadt Pariß.
Philippi, orum, ist eine Stadt in *Thessaliâ.*
Adam est nomen Viri, indeclinabile.
Noha est nomen Viri.
Verna, ein eingeborner Knecht.
Hinc Deminutivum Vernula Masc. i. e. infans servi vel servæ.
Pincerna, ein Schenck. *Aprilis* April.

Quin-

Quintilis vel Junius der Hewmonat.
October, Weinmonat
Eurus vel Subsolanus, der Ostwind / *ab ortu.*
Zephyrus vel Favonius, der Westwind / *ab occasu.*
Auster vel Notus, der Sudwind / *à meridie.*
Aquilo vel Boreas, der Nordwind / *à Septentrione.*
Etesiæ, arum, die kühlen Lüfftlein in Hundstagen
Albis die Elbe *Tiberis* die Tiber.
Araris vel Arar, die Sehne in Franckreich.
Sala die Saal. *Mulda* die Mulde.
Advena Frembdling oder Einkömling.
Homicida ein Todtschläger.
Collega ein [illegible] / ein [illegible] in eim Amp..
Incola ein [illegible] einer andern Stadt ist gezogen kommen.
Indigena ein Eingesessener.
Alienigena ein Frembdling / ein Außländischer.

Pag. 19

Dicitur etiam Alienigenus, a, um.
Unigena eingeborn / *id est, Unicus, [illegible]*
Terrigena von der Erden geboren / *ex terrâ genitus.*
Conviva ein Gast.
Bibliopola ein Buchführer oder Buchhändler.

Phar-

Pharmacopôla ein Apothecker.
Persa ein Persianer. *Saxo* ein Sachs.
Turca ein Türck. *Turcica mulier* eine Türckin.
Mácedo ein Macedonier.
Gabriel est nomen proprium.
Raphaël est nomen proprium.
Satanas der Satan/ *id est adversarius.*
Cupido Gott der Lieb/ *filius Martis & Veneris.*
Lar ein HaußEngel/ oder HaußGott. *it. pro domo.*
Allia ein Fluß bey Rom.
Mátrona ein Fluß bey *Campanien* in Franckreich.
Sequana die Sene/ laufft durch Pariß
Druentia vel Druentina ein Fluß in Franckreich.
Lupia ein Fluß in Teutschland:
Vistula die Weixel. *Dicitur & Visula & Istula.*
Styx ein hellischer Fluß / bey dem die Götter schwuren
Lethe ein hellischer Fluß/ der einem Vergessenheit aller dinge machet/ so man daraus trincket.
Albula ein Fluß *Italiæ*, so hernach *Tiberis* genant ist.
Mosella die Mosel.
Jader ein Fluß aus der windischen Marck bey der Stadt Zara.

Nar

Nar ein Fluß der *Sabinorum in Italiâ.*
Maria est nomen proprium mulieris.
Virgo eine Jungfraw/ *Mater* Mutter.
Nurus die Schnur/ des Sohns Weib.
Socrus eine Schwiegermutter.)(*Gener, Nurus.*
Soror eine Schwester.
Misnia Meissenland.
Ægyptus Egyptenland.
Delus ist eine Insel im Aegeischen Meer.
Cyprus die Insel Cypern.
Lesbus eine Insel im Aegeischen Meer.
Chios ist eine Insel im Aegeischen Meer.
Hadria est urbs in finibus Piceni, Fœmininum, sed pro mari Veneto est Masc.
Tyrus ist eine Handelestadt in *Phœnicia* am Meer
Trœzen ist eine Stadt in *Peloponneso.*
Salamis vel Salamin, ist eine Stadt / *item* ein Insel.
Babylon ist eine Stadt in *Chaldæâ.*
Lacedæmon, eine Stadt in *Peloponneso* gelegen.
Sidon, eine Stadt in *Phœniciâ* am Meer gelegen.
Pirus Birnbaum. *Prunus* Pflaumbaum.
Quercus ein Eiche. *Ebenus* ein Ebenbaum.
Ficus ein Feygenbaum. *Unedo* Hagapffelbaum.

Nux Nußbaum *Ilex* Steineiche.
Larix ein Lerchenbaum *Salix* eine Weide.
Smilax ein Eybenbaum/ *Latinè Taxus vocatur, item plantæ quædam diversorum generum, ut,*
Smilax hortensis welsche Bonen oder Erbs.
Smilax aspera, stechende oder scharffe Winden/ flechten sich umb die Zäune und Weinstöcke.
Smilax levis, glatte Winden.
Juno, die Tochter des *Saturni*, eine Schwester und Haußfraw *Jovis*.

Pag. 20.

Pallas, adis, die Göttin der Weißheit.
Sed Pallas antis, Masc. fuit filius Evandri.
Venus die Göttin der Liebe/ *it.* die Liebe, *it.* ein Planet/ den sich der Abendstern.
Ceres, die Göttin des Getreydiges / *item* Brod/ *it.* Korn.
Clotho, *Lachesis*, *Atropos*, sind drey Göttin/ welche die Lebenszeit und Glück bestimmen/ werden sonst die *Parcæ* genand.
Siren ein Meerwunder/ wie Jungfrawen die wol singen.
Sphinx, ein Wunderthier.
Acragas, ist eine Stadt in Sicilia/ die sonst *Agrigentum* genennet wird. *Item*, ein Nam eines Bergs.
Narbo, Narbon/ ist eine Stadt in Franckreich/ jetzt Narbona genandt.

Hippo

Hippo, ônis, ist eine Stadt in Africa.
Sulmo ist eine Stadt in Welschland/ *patria Ovidii.*
Croto ist eine Stadt in Welschland.
Amathûs, untis, ist eine Stadt in Cypern.
Dapnûs, ûntis, est nomen urbis.
Jerichûs, ûntis, Jericho / eine Stadt im Jüdischen Lande.
Emmaûs, ûntis, das Städtlein Emaus im Jüdischen Lande.
Camirus est nomen urbis in Rhodio.
Epidaurus eine Stadt in *Peloponneso.*
Pylus ist eine Stadt in *Peloponneso.*
Tibur ist eine Stadt in Welschland.
Argos ist eine Stadt in Griechenland.
Gadir eine Stadt in der Insel Calitz.
Cære eine Stadt in *Hetruria.*
Præneste eine Stadt in Welschland.
Anxur eine Stadt in Welschland.
Oleaster Wilder Oelbaum/
Pinaster eine Fichte.
Spinus Schlehenborn/oder Schlehenbaum.
Styrax ist ein Baum wie ein Quittenbaum/ daraus Hartz fleust/ welches fürnemlich *Styrax* oder *Storax* genennet wird
Acer ein Ahorn *Robur* eine Steineiche.
Siler eine Wasserweide.
Suber ein Baum/davon das Pantoffelholtz ist.

Rex ein König. *Regina* eine Königin.
Tibicen ein Pfeiffer. *Tibicina* Pfeifferin.
Cliens ein Vasal/ *it.* der ein Vorsprecher hat.
Clienta die einen Vorsprecher hat.
Inventor, ein Erfinder.
Inventrix, eine Erfinderin.
Sexus Geschlecht / Natur / Männlich oder Weiblich.
Antistes, Vorsteher / Prælat / *it.* Vorsteherin/ Aptissin. p. 21.
Vates Warsager/ Warsagerin / *it.* ein Poet.
Adolescens, ein Jüngling/ *it.* eine junge Dirne.
Autor Anstiffter/ Anstiffterin/ ein scribent.
Augur ein Weissager oder Weissagerin aus dem fliegen/ schreyen oder weyden der Vogel.
Dux, ein Führer / Anleiter/ Anleiterin/ *item* Hertzog.
Judex ein Richter oder Richterin.
Custos Hüter oder Hüterin.
Testis Zeuge oder Zeugin.
Civis Bürger oder Bürgerin/ Landsmännin.
Sacerdos ein Priester/ oder eine Nonne.
Municeps ein Mitbürger/ oder Mitbürgerin.
Parens der Vater oder die Mutter.
Patruelis des Vaters Brudern Kind.
Patrueles Brüder Kinder.
Affinis Schwoger oder Schwägerin.
Hostis ein Feind oder Feindin.

Bos

Bos ein Rind / Ochs oder Kuhe.
Canis ein Hund oder Hündin.
Interpres ein Unterhändler / *it.* Dolmetscher.
Par vel compar substantivum Commune, significat, ein Geselle oder Gatte. *Sed Neutr. Subst.* ein par / *ut par calceorum*, ein par Schuhe / *Par. Adj.* gleich.
Conjux, Gemahl / Ehemann oder Eheweib.
Miles, ein Kriegsmann / Kriegerin.
Hæres ein Erbe oder Erbin.
Sus eine Saw / Schwein oder Hackisch.
Juvenis, Jüngling oder Jungfraw.
Familiaris, Freund oder Freundin.
Martyr ein Märtyrer oder Märterin.
Comes Gefert oder Gefertin.
Infans Unmündig Kind / Sohn oder Tochter.
Hospes ein Wirth oder Wirthin / *it.* ein Gast.
Nemo Niemand.
Opifex Werckmeister oder Werckmeisterin.
Index ein Anzeiger oder Anzeigerin.
Index libri ein Register / Item Probirstein.
